



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio II. De Alteratione, Intensione, Remissione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

connaturali, sua consistentia, ea condensatio debet referri in expulsionem partium subtiliorum, compactiorem pororum qualitatis rarefactive carentia, &c. similia. Quando autem est singulariter notabilis, magnæ materiæ ad parvas dimensiones contrahitio, & quæ in causas adlatis sufficienter referri non posset, probabiliter dici posset, dari qualitatem ita condensativam.

RATIO. Quia talis qualitas non videtur repugnare. Est hæc secunda pars asserti ut vides hypothetica.

DICES 1. Illa qualitas nullo modo est necessaria.

RESPONDETUR. Hoc argumento non probari ejusdem impossibilitatem. Supposita autem qualitatis ejus possibilitate, necessitas ejus ponendæ deducitur, ex adlatis sub hypothesi.

DICES 2. Illa qualitas vel faceret, ut non occupet tantum locum corpus, quantum exigit quantitas, vel non faceret. Non primum, quia faceret penetrare sese partes. Non secundum, quia hoc non esset necessarium.

RESPONDETUR. Cum penetratio corporum sit impossibilis naturaliter, non faceret illa quantitas penetrari inter se partes, faceret tamen sine penetratione minus spatium occupantes, cum non adesset aliud principium occupationis majoris spatii.

DICES 3. Vi hujus doctrinæ admitti intentionem majorem vel minorem densitatis.

RESPONDETUR. Sicut potest esse magis vel minus aliquid rarum, ita potest esse magis vel minus densum.

DISPUTATIO II.

De Alteratione, Intensione, Remissione.

Generationi substantiali succedit, Generatio Accidentalitatis, quæ Alteratio dicitur. Et quia Alteratio appropriatius qualitatibus convenit, pensanda primo est qualitatis natura quæ quidem si exacta habeatur, per definitionem haberi debet, licet eam non sit obvium reperire. *Hinc*

PRÆMITTO. Quid sit Qualitas. Plures definitiones ponunt Suarez uterque, Arriaga & Oviedo, easque refutant, quos consule. Recentiorum explicationes pensanda.

EXPLICAT 1. Arriaga. Quod qualitas sit accidens absolutum. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia probabilius est contra Arriaga, quantitatem esse distinctam realiter à substantia, quo casu, illa erit Accidens, absolutum, & tamen non erit qualitas. Ergo qualitas non est accidens absolutum, saltemque non repugnat quantitas distincta realiter, quæ certe erit accidens absolutum, & tamen non erit qualitas. Tum quia per merum genus, non rectè definitur species. Ly autem Accidens absolutum est genus, quia ens absolutum, rectè dividitur in substantiam absolutam, & accidens absolutum. Sub quo tum primum ponitur qualitas, quam esse non nisi unicam speciem hujus generis, non probatur. Tum quia ut arguit Oviedo, vel nomine accidentis absoluti, intelligitur accidens non dicens relationem ad aliud, & sic definitio non competit actibus vitalibus, qui dicunt ordinem ad principium, à quo producantur. Si autem nomine accidentis absoluti intelligat, accidens reale, prout enti modali opponitur, & sic non congruet principiis Arriaga, qui dicit præsentiam esse entitatem realem, & tamen præsentia non est qualitas. Casu quo quis concederet, ubi illud, esse qualitatem, non urgeret argumentum.

EXPLICAT 2. Oviedo controversia 8. Meta-

physica, punct. 1. Qualitatem dicitque illam esse accidens, quod secundum rationem superiorem prædicamenti, tantum sequitur actualitatem perfectam. In idem recidit Recentior Suarez. Quod sit accidens intrinsecum, quod tantum sequitur actum substantialem. Nomine autem actus intelligunt vel formam in composito, vel esse substantiale actuale, si non sit compositum, quale est esse Angelicum. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia est obscura, non satis enim, liquet, quid velit sibi illud Ly secundum rationem superiorem prædicamenti, continet etiam hæc definitio terminos superfluos contra leges bonæ definitionis, quia ratio superior prædicamenti qualitatis, est Accidens, ad quid ergo idem bis ponitur, nempe Ly accidens & Ly secundum rationem superiorem. Tum quia dispositiones, quæ tales, sunt qualitas, de iisquæ tanquam de Specie Generis, Qualitas prædicari potest: & tamen dispositiones quæ tales naturæ sunt, non sequi, sed antecedere actualitatem perfectam. Quod ipsum ulterius proponitur. Non implicat qualitas antecedens actualitatem perfectam. Ergo de ratione qualitatis non est sequi actualitatem perfectam, possibilisquæ est materia, quæ quæ talis exigit aliquam certam qualitatem perfectam, ad eum modum, quo præsens materia exigit Quantitatem, licet præsens materiæ, non competat determinatam qualitatem exigere. Tum quia in istis quæ sunt composita, rationem actualitatis perfectæ per eosdem, habet non nisi ipsa forma, qualitatemquæ uterque docet sequi formam, possibilis est autem qualitas, quæ neque solam formam, neque solam materiam, sed compositum sequatur. In explicatione etiam Suarii desideratur insuper, quid sit qualitatem esse accidens intrinsecum, omne enim accidens, hoc sensu est intrinsecum, quia natum est inherere substantiæ.

EXPLI-

EXPLICAT 3. Pontius d. 16. n. 9. Nempe quod qualitas sit accidens absolutum penetrabile. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia penetratio importat aliquid ad lineam quantitatis spectans, quomodo ergo per negationem ejusdem, definitur qualitas, & sicut mala est Hurtadi definitio per Pontium, quâ definit qualitatem quod sit accidens distinctum à quantitate, ita & hæc definitio non erit bona. Tum quia definitio qualitatis debet esse talis, quæ sit ratio formalis, ob quam qualitas in ratione qualitatis constituitur. Sed ratio penetrationis non est talis ratio, quia non ex eo est aliquid qualitas, quia est penetrabile, hinc quantitatem potest Deus facere actu penetratam, neque tamen faciet illam actu qualitatem, supposito; quod ista impenetrabilitas, non sit de primo essentiali conceptu quantitatis, forte non implicat qualitas penetrabilis. Tum quia penetrabilitatis prædicatum, nihil habet coincidentiam cum nomine hoc Qualitas.

EXPLICANT 4. aliqui apud Oviedo. Quod qualitas sit accidens per se intensum. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia possibile est qualitas non intensibilis. Tum quia ratio definitiva qualitatis, debet esse primus illius conceptus, sed esse intensibile non est primus qualitatis conceptus; quia iam supponitur constituta esse in suo esse qualitas, quando ei advenit prædicatum posse intendi; quia sicut prius est esse, quam operari, ita prius est esse, quam taliter affici, vel augeri.

Tum quia ratio in oppositum non convincit, quamvis enim de ratione quantitatis sit extensio, non sequetur de ratione qualitatis esse intensionem, quia à modo essentia unius, non licet arguere ad modum essentia alius, nisi positivum habeatur fundamentum, quod hic non ostenditur.

Concludes inde, non esse nobis notum ullum prædicatum, primo essentiali qualitatis, ad eam tamen exemplo Aristotelis circumscribendam, utendum Methodo divisiva.

EXPLICARI potest 5. Quod sit accidens Physicum, quod neque est quantitas, neque relatio, neque ubi, nec quidquam eorum, à quo ens non denominatur tale.

RATIO. Quia ex una parte ponit etiam Aristoteles tales definitiones, ex altera parte quando desunt primo essentielles conceptus, & prædicata prima, bene utimur Methodo divisiva. Per terminos tamen positivos, qui ipsi inniti debent inductioni, posset dici quod qualitas sit accidens Physicum reddens subjectum tale.

DICES 1. Quod hæc descriptio non ostendat quid sit qualitas, sed quid non sit. Ergo non est bona.

RESPONDETUR. Rerorquando argumentum, de definitione Materia, Methodo simili, ab Aristotele definitur,

DICES 2. Quod illa particula non est quidquam eorum à quo ens non denominatur tale, sit superflua, & quod videatur committere circumulum vitiosum. Nam si quæretur quid sit aliquid, à quo aliquid non dicitur tale. Respondebitur, quod sit omne illud, quod non est qualitas, qui est circumulus vitiosus.

RESPONDETUR. Non raro in descriptionibus traditis per Methodum divisivam poni solet particula, quasi genericè rejecta membra complectens. Quod autem non committatur circumulus vitiosus. Ratio est. Quia quando quæretur, quid sit illud à quo dicimur tales, non erit necesse recurrere ad qualitatem, sed non nisi ad solam inductionem; ad eam modum, quod si quæretur ab Aristotele, quid sibi velit illud, quod materia non sit quidquam eorum, à quibus ens determinatur, non erit necesse recurrere ad hoc, & ponere in responsione, quod sit materia, sed erit facienda inductio, quod etiam sit in præfenti.

DICES 3. Contra illam positivam quasi descriptionem, quod illa describat qualitatem per ordinem quasi ad seipsam.

RESPONDETUR. Idem describi per ordinem ad seipsum, sed aliter conceptum, quod usu venit in omni definitione. Rursus sicut qui describit Patrem per Filium, non committit circumulum vitiosum, quia definit relativum per correlativum aliud; & cum correlativum qualis sit tale, bene per tale describetur qualitas. Et quia si quis ignoret qualitatem, ignorabit & tale. Hinc aliunde inductione notificari debet.

Ponit Aristoteles divisionem qualitatis in Habitum & dispositionem, potentiam & impotentiam, in passionem & possibilem qualitatem, in formam & figuram, quæ omnia post alios explicat Pontius.

QUÆSTIO I.

De Alteratione.

QUÆRES 1. Quid sit Alteratio per alios. Alterationem liberalius acceptam describit aliquis, quod sit mutatio in qualitatibus, per quam subjectum alterum sit, non aliud. Hæc descriptio in re bona est, sed quoad modum loquendi non omnino satisfacit, quia continet membra contra opposita, dicit enim ex una parte non fieri aliud subjectum in mutatione alterativa, & nihilominus dicit fieri aliud, quod ipsum Probatur: quia ly alterum sine addito, significat alteratam in substantiali aliquo, hinc in Divinis Filius sicut non dicitur aliud à Patre, ita nec dicitur alter rigorosè, sed alius. Quod si dicas, te non talem alteritatem supponere, hoc ipsum exprimere debuisses.

QUÆRES 2. Quæ definitio alterationis. Commodius sic describeretur. Quod alteratio sit mutatio in qualitatibus, per quam subjectum alter se habet,

† (D) 3

habet, & non fit aliud. Alteratio autem prout de ea in libris de Generatione agitur, ordinariè describitur quod sit mutatio, per quam manens idem subjectum sensibile, mutatur in passionibus contrariis aut mediis, nomine passionum intelligendo qualitates. Nomine contrariarum, quatuor primas, nomine mediarum qualitates pugna restrictas & commistas. Breviori phrasi ex Aristotele 1. de Generatione textu 23. diceret quis, quòd sit mutatio secundum quale.

QUÆRES 3. *Quomodo fiat alteratio.* In unaquaque alteratione intervenire debet, determinata vis agendi, & simul determinatum spatium, in quod nonnisi agens agat, appellaturque hoc, sphaera activitatis; quam dari ostendit imprimis experientia; omnia enim nonnisi ad determinatum spatium agunt; & sicut sunt determinata in essendo, ita sunt determinata in operando licet non sit æqualis sphaera activitatis; nam major est sphaera illuminandi in stella quam in face. Neque valet si dicas, potest una forma substantialis, producere aliam formam substantialem. Ergo & octo gradus lucis, alios octo consequenter, non dabitur ulla determinata sphaera activitatis. Non inquam valet, quia experimur defacto lucem non propagare ita sese, aliàs una candela illuminaret totum orbem, jam autem forma aliqua substantialis univoca, producit perfectam substantialem formam, quia si quid illi deesset, hoc ipso substantialis non foret. Porro in hac sphaera Activitatis, modus quo agit Agens alterativum, est agere uniformiter difformiter, uniformitas consistit in hoc: quia quam qualitatem producit in vicino, producit etiam in remotiori, difformitas autem in hoc: quia producit qualitatem non æqualiter ubique intensam. Ratio asserti est experientia, & determinatio agentis in agendo. An autem fiat per partes aliquotas, an per proportionales, ex dictis supra decidendum.

QUÆSTIO II.

De Intensione.

Species alterationis est intensio, de qua pluribus disceptandum, supposito hoc, quænam sit definitio intensionis, quæ posset describi. *Quod sit mutatio qua aliquid fit magis tale.* Communis definitio ita habet. Quòd sit augmentum qualitatis, secundum eandem partem subjecti, sed non satis est commoda, quia in ipsismet terminis, supponit, quòd intensio fiat per additionem gradus ad gradum, ponendo terminum augmentum, cum tamen probabilis sit sententia, quod fiat per aliquid heterogeneum, procederet ergo definitio nonnisi secundum principia particularis sententiæ, licet verioris. Si autem dices Ly augeri, sumi etiam pro augeri per he-

terogenea, rectè procedet definitio. *Interim sit*

DIFFICULTAS I.

Quid in sententia aliorum Intensio.

Atingentur magis principalia Auctorum sententia.

Punctum Difficultatis 1.

An intensio fiat sola contrarii expulsiōe.

DICENDUM est. *Quod intensio non fiat sola majori contrarii expulsiōe.* Est conclusio contra aliquos apud Gregorium, qui dicebant tunc v. g. lignum reddi magis calidum, quando ex eo plures v. g. gradus frigoris expelluntur.

PROBATUR 1. conclusio. Vera est ista propositio. Aliqua intensio non fit ob maiorem expulsionem contrarii. Ergo falsa est ista universalis. Omnis intensio fit ob maiorem expulsionem contrarii. Ergo ulterius malè definitur, quia definitio competere debet: Omni. Antecedens probatur instantiâ Theologica; quod totum simul expellitur, non potest dici magis vel minus expelli, & tamen forma expellens potest magis & magis intendi, quia gratia potest magis & magis intendi, & tamen quicunque illius gradus expellit, totum simul mortale peccatum. Ostendit id etiam instantiâ Philosophicâ; quia totum quidquid est tenebrarum simul expellitur, & tamen potest esse magis vel minus lucidum. Species item intentionales; visio &c. admittunt intensionem, & tamen non habent contrarium, quod expellant. Quæ omnia in hoc fundantur principio. Possibilis est intensio, impossibili omni expellendo contratio. Neque valet si dicas. Intensionem stare in expulsionem contrarii absoluta, vel conditionata si detur; quia sequeretur illas qualitates, quibus responderet nonnisi conditionatè expulsio, non esse actu intensas, quia conditionata expulsio, seipsa nihil ponit in rebus, & tamen in re est illic intensio.

PROBATUR 2. Supponamus, materiam in ante non præexistisse, nec ullâ aliâ formâ informatam fuisse, supponamus rursus primo educi à Deo formam ignis, cui annexus sit calor intensus ut octo, quo supposito, sic arguitur. Si intensio per te fiat in expulsionem contrarii, Ergo ille calor & erit intensus ut supponitur & non erit, quia nihil expellet. Si enim expelleret aliquid, expelleret frigus, non expelleret frigus, quia non supponitur illud præfuisse, sequiturque ex hac sententia, quòd non posset unquam Deus producere calorem intensum, neque frigus intensum, adeoque convenire frigori intenso & calori intenso impossibilitatem intrinsecam. Sequela

quæla probatur; si vellet Deus producere calorem intensum, deberet prius producere frigus intensum, quia intensio caloris sistit in expulsi-
one frigoris intensi. Rursus frigus intensum non posset producere quin prius producat calorem intensum, quia intensio frigoris, sistit in expulsi-
one caloris intensi, & sic ulterius. Ergo nunquam esset ponibilis calor intensus, & frigus intensus, quia quod primo produci deberet, jam deberet supponere prius. Hoc ulterius fundatur in hoc principio: Necessariò debet deveniri ad aliquid quod primo producat. Ergo si nihil potest esse quod primo producat, nihil unquam produceretur, in præsentem autem non posset primo produci calor v. g. intensus, ut probatur.

PROBATUR 3. Quia vel totum simul contrarium expellitur, vel per partes, si totum simul. Ergo non est successiva alteratio, quod est contra experientiam. Ergo ulterius non datur intentio, quia in eo quod simpliciter, & totum simul non est, non potest dici magis vel minus non esse, hoc enim ipso, non totum simul non esset, consequenter nec potest magis vel minus expelli. Quod si non detur in expellendo contrarie magis vel minus expelli. Ergo nec datur majus & minus expellere, consequenter nec intensum fiat per te in illo expellere. Quod si contrarium non totum simul expellitur. Ergo remissio sit per partes. Ergo & intensio fiet per easdem, qua enim ratione unum diminuitur eadem & aliud augetur, cum ita debeat augeri, quomodo casu alio sit remittenda, sed remittitur per partes. Ergo & augetur per partes. Ergo & intenditur per partes. Hæc enim idem sunt in te, cur ergo in illa potius additione partium, non stabit intensio?

Per hoc tamen non nego, quod sequatur tanquam aliquid secundarium ad intentionem, vel actualis expulsio contrarii, vel aptitudinalis, ut sequitur ex esse, negatio non esse oppositi, nam ex esse hominis, sequitur negatio non esse hominis. Sic & ex frigore, sequitur suo modo negatio non frigoris positivi, seu calidi, & hoc voluit Aristoteles 5. Physicorum Textu 11. & 3. Topicorum cap 19.

Punctum Difficultatis 2.

An Intensio fiat productione novæ Qualitatis corrupta veteri?

DISCENDUM est. Intensionem non fieri per corruptionem in ante producta qualitate & productionem alius novæ. Et assertum contra Avicennam, Durandum, & alios.

PROBARI solet I. Illa intensio, & esset intensio ut supponitur, & non esset, quia non esset illic augmentum qualitatum, non enim id

dicitur augeri, cui succedit aliud priori corrupto.

RESPONDERI posset. Augmentationem in omni intentione debere fieri non numeralem, adeoque quamvis antecedens aliquid non servetur: sed debere esse augmentationem virtutis, quæ fieri potest corrupto priori, & succedente aliquo novo.

PROBAT II. Oviedo; hic contra 4. num. 10. Agens in primo instanti in quo applicatur potens est producere calorem perfectum, seu intensum, quem producit postquam alios minus perfectos producit. Ergo in primo instanti potuit illum producere, & subiectum illo calore intendere sine ulla intentionis successione.

RESPONDERI posset. Retorquendo Argumentum, nam in sententia Oviedi, Intensio fit per additionem gradus ad gradum, cur ergo non statim agens producit octo gradus. Quod si recurrat Oviedo fieri per resistantiam manentis contrarii, ergo posita indefinitè hæc propositio jam non tenet. Quando agens potens est aliquid agere (supple à parte sua) exemplo illud agendum, possentque dicere oppositi, etiam illic post corruptionem unius contrarii, productionem alius contrarii sequi, ita, ut nunquam maneat materia spoliata contrario, donec producat tota intensio, & quod ultimò hæc, quæ complet intentionem non producat qualitas, referri id debet, in resistantiam, qua stante, hanc tantum qualiteratem potest producere agens.

PROBAT III. Recentior Suarez. Agens naturale non corrumpit sibi simile, immò illud conservat. Ergo calor ut octo, non destruet etiam præcedentes gradus, ut quator.

RESPONDERI posset. Antecedens, si includat etiam agens naturale intensivum falsum esse & videtur petere principium. Licet forte sit verum de aliquibus agentibus. Sed agentia, sicut in esse, ita & in agere non omnia sibi sunt proportionata; & sicut productio unius præsentia, est corruptio alius præsentia, quamvis similis, quæ præsentia in sententia arguentis est quod reale, cur productio sequentis gradus, non exigit corruptionem alius; quæ instantia ostendit ex eo præcisè quia aliquid est simile alteri, non sequi quod præcedens corrumpi non debeat. Deinde immeritò supponit, hocque ipsum probare debuisse, quod gradus imperfectior sit similis perfectiori.

PROBATUR IV. Ab Arriaga; vide eundem. *Sedejus argumento*

RESPONDETUR. Posset imprimis dici illos gradus esse diversæ speciei, & non ex eo deperdi gradum imperfectiorem, quia deberent manere in eodem subiecto qualitates diversæ speciei, sed ex aliis principiis; posito autem quod non sit diversæ speciei, posset aliquis intra eandem speciem admittere maiorem & minorem

perfectiorem, consequenter per perfectiorem qualitatem, non erit subjectum aequè calidum atque per imperfectiorem.

PROBAT V. Pontius. Quando intendit ignis calorem in aqua, non est ulla causa à qua destruatür præcedens calor, quia non est ignis destructivus caloris, absurdum enim videtur quod ignis habeat virtutem destructivam caloris.

RESPONDERI potest. Absurdum esse, ignem habere vim destructivam caloris absolute, licet habeat vim destructivam caloris imperfecti, nec id impugnat Pontius, in quo tamen in præsentia est difficultas.

PROBATUR VI. Communiter. Remissio non fit per destructionem intensi, & productionem remissioris. Ergo nec intensio. Antedens probatur, quia ponamus aquam calidam, circumdatam vicino frigido, eo casu remittet se calor in aqua. Ergo per te produceretur magis remissus calor, cuius producendi nullum principium attendi potest, non enim hoc principium est aqua, quia hæc non habet vim producendi calorem; non vicinum agens, quia supponitur circumdata corpore frigido non Deus, quia ad illum recurrere non est Philosophicum.

RESPONDERI potest, quod non sit Philosophicum recurrere ad Deum, quando subest alia causa naturalis alicujus effectus, quæ hic ostendi non potest; & sicut Deo tribuitur conservatio caloris in aqua, sic poterit tribui etiam productio remissionis caloris. Si aliunde non proberetur Remissionem, non stare in productione remissionis gradus.

Vt aliqua ex dictis restituantur Rationes:

PROBATUR VII. Conclusio argumento negativo. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Ergo nec dignificanda; nullum autem fundamentum est ponendi gradum perfectiorem in intensione. Confirmatur; quia ille gradus perfectior vel est specie distinctus ab imperfectiori, vel solo numero, vel minus quam specie, & plus quam numero; non potest dici quod sit specie distinctus, quia hujus specificæ distinctionis nulla necessitas & signum; Sicut nec ulla necessitas ponendi in igne vim productivam specie distinctorum calorum. Non etiam potest dici quod sint solo numero distincti illi gradus: quia sequeretur quod imperfectior possit producere totum id, quod perfectior, alias non essent solo numero distincti; hoc autem dici non potest, quia in istis principiis tolleretur intensio. Nam quia facere potest perfectior calor id, quod imperfectior, Perfectior exigit imperfectionis corruptionem, Ergo cum etiam per te imperfectior gradus, sit solo numero distinctus, exigit ne producatür perfectior, utpote totum id potens præstare, quod

perfectior, consequenter per te non dabitur intensio, quia non dabitur productio gradus perfectioris; nec apparet, qui ille gradus esset imperfectior, non enim esset imperfectior specie, utpote ejusdem speciei, non imperfectior numero, nam numerica quæ talis distinctio, non importat imperfectionem; nam unum in bis, est aequè perfectum, atque unum in sex. Non etiam dici potest, quod calor perfectus & imperfectus sint distincti plus quam numero, minus quam specie; quia posito quod talis detur distinctio, nullum est fundamentum in præsentia, & nulla necessitas adstruendæ hujusmodi distinctionis, hæc etiã posita distinctione, non sequetur non posse inter se, illos duos gradus consistere, quæ enim hujus ratio? immò suppletio imperfectionis à perfectiori, videtur arguere distinctionem specificam, sicut suppletio formæ vegetativæ à formâ sensitivâ arguit eandem.

OBJICITUR I. Calor imperfectior est Terminus à Quo, respectu caloris perfectioris, qui & est Terminus ad Quem. Sed in omni mutatione debet terminus à Quo desinere, Ergo & gradus imperfectior.

RESPONDETUR. Calorem imperfectiorem non secundum entitatem esse terminum à Quo, tam enim hic numero, qui primus ponitur, poterat octavo loco poni, atque octavo loco positus, primo loco; Sed tantum calor imperfectior est terminus à Quo, secundum quod dicit negationem sequentium graduum, quæ negatio productione illorum graduum auferatur. Addo Terminum à Quo, in quantum importat privationem termini ad Quem, positione termini ad quem tollitur, vel in quantum importat terminum à Quo localem, formaliter acceptum, sed non est necesse simpliciter auferri terminum à Quo, alias discessus Romæ, deposceret destructionem Romæ, quamvis propter motum localem, necesse sit illam deferri, qui motus localis, quæ non exercetur in alteratione intensiva, non est necesse in illa tolli terminum à Quo. Et ratio est, quia nisi deferantur in motu locali terminus à quo, non erit motus, sed consistentia in eodem loco; quamvis autem non destruatür prior gradus, & addatur illi alius similis, non sequetur eodem modo esse intensum calorem, habebit enim plus ex illo, quam ante.

OBJICITUR II. Eadem anima potest suppleri & gradum sensitivi, & gradum vegetantis, nec est necesse multiplicari animas ad has operationes. Ergo & intensio stabit in uno perfectiore gradu.

RESPONDETUR. Quia ex una parte, cum constet, defacto dari animam rationalem, bene possumus inferre, ad evitandas multiplicationes entium, unam illam esse; eamque hoc præstare quod alia. Cum autem non constet dari

dari defacto istum calorem perfectiorem unum, non erit multiplicare entia sine necessitate, ponere plures illos gradus. Non nego tamen, quod possibilis sit calor perfectus, continens in se emmenter plures gradus.

OBJICITUR III. Sonus & vox intenduntur per productionem novæ partis destructæ priori. Ergo & qualitas.

RESPONDET Pontius. Illa priora entia sunt successiva quorum partes non debent simul existere, qualitas autem intensa, est quid permanens, & propterea non debet ad productionem unius, altera destrui. Deinde in sono duo sunt, intensio & extensio. Extensio prout ab organo percipitur, exigit productionem novæ partis destructæ priori, quia quando dico: Pater. Cum sonat *ter*, non sonat *Pa*; intensio tamen debita syllabæ *ter* nullo modo, quantum ex vi intensiois, exigit destructionem syllabæ *Pa*, quia cum syllaba *ter* sonat, semper æquæ non est *Ly Pa*, & tamen non semper est eadem intensio. Ergo intensio quæ talis, non est ex destructione antecedentis syllabæ, consequenter intensio, aliunde petenda erit.

INSTAT A pari pro eadem sententia Maurus, quæst. 27. Quando arcus intenditur, non remanet eadem curvitas quæ erat ante, sed mutatur in aliam curvitatē majorem, & de converso cum arcus remittitur curvitas, major mutatur in minorem. Ergo etiam cum per actionem intensivam, subjectum fit magis calidum, non remanet idem calor, qui fuit ante.

RESPONDETUR. Quod nullæ partes arcus, retineant eandem curvitatē in intenso arcu, quæ erant in remisso, & tamen curvato, agere probaretur. Quidquid, sit de hoc, cum tamen indubiè omnia, veteri curvitate, aliquæ partes, novam acquirant, quoad has partes disparitas dari potest, quia scilicet cum illæ partes, novam acquirunt curvitatē, acquirant eam non sine motu locali, & si retinere & pristinum ubi, & novum, ratione novæ curvitatē, deberet res bilocari. Ideo in nova curvitate, amitti debet curvitas pristina; quia autem in intensione, quantumvis fieret sine novæ qualitatē, destructa priore acquisitione, non sequeretur rem bilocari, nec quidquam aliud, ideo adhuc non significando entia sine necessitate, poterit salvari intensio, sine productione novæ qualitatē perfectioris.

Punctum Difficultatis 3.

An Intensio fiat per radicationem ejusdem qualitatē.

EST sententia Thomistarum, docentium, quod Intensio fiat per majorem radicationem, ejusdem qualitatē. Quæ doctrina duplicem

potissimum habet explicationem. Primum quod intensio fiat per productionem novæ existentie ejusdem qualitatē. Secundum quod fiat per unionem majorem ejusdem qualitatē.

DICENDUM est I. *Intensionem fieri per productionem novæ existentie ejusdem qualitatē.*

PROBATUR I. Quia existentia non distinguitur à re ut dictum alibi. Ergo non potest produci nova existentia ejusdem qualitatē, cum supponitur illa qualitas non produci.

PROBATUR II. Etiam posito quod existentia caloris sit distincta à calore, sequitur intensionem non fieri per productionem novæ existentie caloris. Sequela probatur: Existentia caloris est distincta realiter à calore. Ergo & existentia nova caloris. Quomodo ergo cum intensio debeat esse à majore calore, poterit illa haberi ab existentia nova caloris, quæ est distincta realiter; & sicut magis album non redditur aliquid, quia redditur magis lapidum, eò quod sapor & albedo sint distincta realiter, sic etiam cum existentia sit distincta à magis calido, non poterit existentia, reddere magis calidum.

RESPONDEBIS. Per nos subjectum redditur magis album, quantumvis ab illo albedo sit distincta realiter. Ergo etiam quamvis existentia sit distincta realiter, poterit adhuc reddere magis calidum.

CONTRA A. Quia albedo à se non est distincta realiter, in seque ipsa importat albedinem, hinc si uniatur subjecto, denominabit illud magis album, tu autem in magis calido, non ostendis quid sit plus caloris, non in ipsa existentia, quia hæc distinguitur realiter à calore; non in ipso calore, quia eundem dicis esse qui fuit ante.

PROBATUR III. Quia illa existentia perfectior, non habetur unde sumatur; nam existentia statim non esse nihil, & esse actu extra causas, in quo non videtur qui possit haberi perfectio major, cum semper non nisi verificetur hæc propositio, vi existentie non est nihil.

DICENDUM est II. *Intensionem non fieri per ejusdem forme indivisibilis majorem unionem.*

PROBATUR I. Vel illa perfectior unio, unit aliquem calorem cum subjecto, quem non uniebat imperfectior, vel non unit, si unit, Ergo illa qualitas non est indivisibilis, quia pars illius qualitatē aliqua unitur per perfectiorem, aliqua per imperfectiorem unionem. Quod si illa perfectior unio, non unit quidquam, quod non unierit imperfectior. Contra erit, quia non poterit salvari intensio, quia entitas unionis, non est intensio. Ergo perfectior intensio, non est perfectior Entitas unionis. Antecedens probatur, quia intensio tenet se à parte qualitatē. Unde quod magis calefacit, est magis calidum; & tamen ipsa unio caloris, non est

est calor; cumque unio sit ratio formalis ut Quo. Ergo ostendere debes alium terminum, ut Quod, intensiois, hoc autem non aliud erit, nisi ipsa qualitas.

PROBATUR II. Non implicat contradictionem quod ponatur albedo non unita subiecto, & tamen sit intensa. Ergo intensio non consistit in maiori unione, vel productio: ne perfectioris unionis in subiecto. Et certe item intensio caloris in subiecto, quod est ignis, vel est ex maiori illius unione cum igne, vel ex aliquo alio principio. Si ex maiori unione cum igne. Ergo calor ignis separatus ab igne, definirer esse intensus, nam definirer esse unitus subiecto, quod videtur falsum; si autem sublata unione cum subiecto, adhuc manet ille calor intensus, ergo intensio formaliter, non consistit in unione cum subiecto, nec apparet, qui ipsa exigentia illius unionis, pandit intensioem.

PROBATUR III. Si intensio fieret per maiorem unionem cum subiecto, vel id fieret per unionem distinctam à re intensa, vel per indistinctam, si per distinctam. Ergo cum ipsa unio possit esse magis vel minus intensa. Sicut & intensio, potest esse maior & minor deberet esse magis illa unio intensa per aliam unionem; absurdum autem est dari unionem Unionis, utpote fundantem progressum in infinitum. Si autem fieri potest hæc maior intensio per unionem indistinctam etiam à subiecto, tunc illud subiectum unionis, seu illa qualitas & esset intensa, ut supponitur & non esset intensa, quia eadem est entitativè intensa & non intensa. Ergo si cum non erat intensa, etiam intensa, erit non intensa; erit enim eadem.

OBJICITUR I. Auctoritas Aristotelis & Sancti Thomæ. Aristotelis quidem 8. Physicorum textu, 84. *ex calido inquit fit magis calidum nullo facto in materia calido* S. Thomas verò 1. 2æ, quæstione 52. articulo 2. docet augmentum habituum & aliarum formarum, non fieri per additionem formæ ad formam, sed per hoc quòd subiectum magis participet unam & eandem formam.

RESPONDETUR. Aristoteles hoc vult, quod scilicet in intensioe calor non debeat recipi in nova parte materiæ, sed in eadem. S. Thomas hoc tantum vult, quòd unus calor, non informet alium calorem, sed eandem partem subiecti, unde etiam explicando intensioem, recurrit ad subiectum magis participans.

OBJICITUR II. Pars qualitatis, addita parti qualitatis, vel est eadem specie cum antecedente, vel diversa. Si eadem, Ergo per talem additionem intendi non potest subiectum, quia accidentia solo numero diversa, non possunt informare idem subiectum, quod si sunt diversa specie, non possunt uniri & facere Eas unum

per se, cum tamen intensio, importet Ens, unum per se.

RESPONDETUR. In eodem subiecto quædam quidem accidentia solo numero distincta posse dari, quædam non. Quod possint quædam dari probant instantiæ, de visionibus, speciebus, & cætera similia, quæ obiectorum solo numero distinctorum, & à principiis iisdem. Sunt solo numero distincta, & tamen dantur. Quod autem quædam accidentia, solo numero distincta, non possint dari in eodem subiecto, probat instantia ducta ex quantitate & aliis. Quod si regula inquiratur, quænam accidentia solo numero distincta possint dari in eodem subiecto, & quæ non, à posteriori colligendum. Si enim additio alius non plus facere possit, quam positio unius, talia secum naturaliter in eodem subiecto non stant, quia alterutrum superfluit: & quia tam bene extendit una Quantitas, quam alia, tam bene principiat unus intellectus intellectiones quam alius, ideo hæc secum stare non possunt in eodem subiecto. Quia verò alia accidentia sunt talia, ut unum, non a quæ bene aliquid præstet, ac cum alio: fit ut illa secum stare possint, non enim jam superfluet aliud.

INSTABIS. Accidentia individuamur à subiecto. Ergo plura accidentia solo numero distincta non possunt recipi in eodem subiecto.

RESPONDETUR. Negatum esse antecedens in Metaphysica.

OBJICITUR III. Multa sunt quæ intenduntur, & tamen non habent partes, nam etiam res spirituales intendi possunt. Ergo intensio universaliter non consistit in additione partis ad partem.

RESPONDETUR. Spiritualem entitatem non habere partes molem importantes, divisibiles, habere intensivas, seu Graduales. Denique dicent alii antecedens esse verum de substantiis spiritualibus, non de accidentibus.

OBJICITUR IV. Paritas. Rarefactio fit sine additione partis ad partem. Velocitas item, quæ admittit intensioem, non perficitur additione partis ad partem. Ergo nec intensio.

RESPONDETUR. Etiam rarefactionis intensio fit per additionem partis qualitatis rarefactivæ, ad partem qualitatis rarefactivæ, licet per nos non fiat additioe partis corpusculorum, ad corpus. Quod attinet ad velocitatem, Respondet recentior Suarez, etiam intensioem motus seu velocitatem, fieri per additionem plurium partium motus, in tempore, & quali illi, quo motus tardior perficiatur.

OBJICITUR V. Tota ratio partium sumitur à quantitate. Ergo Intensio non debet sumi ab additione partis ad partem, cum non sumatur à quantitate.

RESPONDETUR. Ratio partium extensarum in ordine ad se sumitur à quantitate, non ratio

ratio partium simpliciter. Unde partes entitativa in materia præsupponuntur à quantitate, consequenter etiam poterunt convenire & ipsi Qualitati.

DIFFICULTAS II.

Quid per nos intensio.

DICENDUM est. *Alterationem intensivam, fieri per additionem unius gradus ad alium.* Quidquid sit de intensione actuum Vitalium, de quo infra. Est conclusio utriusque Suarez, Valquez, Hurtadi, Pontii.

PROBATUR I. Quia datur intensio, & non potest commodius per aliud explicari ut videmus in impugnatione sententiarum. Ergo ita fit.

PROBATUR II. Ab Oviedo eo Recentiori Suarez. Calidum fit à calore. Ergo & magis calidum à majore calore, sed calidum non fit sine productione entitatis caloris. Ergo & magis calidum non fit sine productione majoris entitatis; Ergo intensio fit per additionem majoris caloris entitatis.

PROBATUR III. Quando fit intensio vel crescit & augetur qualitas v. g. caloris, vel non crescit, nec augetur. Si crescit nec augetur. Ergo fit intensio per additionem partis ad partem, gradus ad gradum; nihil enim plus hac phrasi significatur, quidquid sit quales sint isti gradus. Si autem non crescit & non augetur. Ergo nec illic est ullo modo intensio. Et certe ponamus addi gradum qualitatis ad qualitatem, & non fieri ullam maiorem unionem, maiorem radicationem, &c. quaro, vel erit illud magis calidum, vel non erit? Si non erit. Ergo duo non facient plus quam unum, & unus calor qui facit calidum si multiplicetur, non reddet magis calidum, comparativusque gradus non verificabitur, pluralitate ejusdem positivi. Si autem reddetur magis calidum, Ergo reddetur intensus calidum, hæc enim verbis tantum differunt.

NEQUE valet si dicas. Quod reddetur tunc magis calidum extensive, non intensive, quomodo enim, si de verbis non disceptetur, non reddetur magis calidum intensive, si calor recipitur in eodem parte subjecti.

OBJICIT I. Complutensis Thomista apud Oviedo. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nulla autem est necessitas intensificationis faciendæ, per additionem gradus ad gradum, potest enim idem calor, sine novæ partis additione, idem præstare, quia eadem indivisibilis entitas animæ, potest diversis subjectis, diversos tribuere effectus formales. Oculo enim dat potentiam videndi, auriculæ audiendi, &c. Eadem idem indivisibilis quantitas, magis explicat subjectum rarefactum, quam con-

densatum. Eadem species impressa, ab objecto sensibili promanans, non reddit aërem in formatum intentionaliter, sed tantum entitative, oculum autem reddit in formatum & entitative & intentionaliter. Gratia item habitualis in puro homine posita, constituit illum filium adoptivum, non constituit Christum. Ex quibus sequitur eandem formam posse esse unitam subjecto totam, & non totaliter, nec explicare omnes effectus quos potest, consequenter reperiri poterit calor in subjecto, pauciores in illo effectus explicans, & illud remissè calidum constituens, & per maiorem sui explicationem, constituens postea illud subjectum magis calidum.

RESPONDETUR. Negando minorem primam, paritas non tenet. Ratio, quia quod non tribuat anima manui v. gr. potentiam videndi, id referri debet in solam incapacitatem organi, non est autem ostendibilis incapacitas, quæ faciat, ne subjecto, præsertim contraria qualitate non in formato, tribuat totam intensificationem unitus calor, quam potest. Immo exinde formatum in oppositos argumentum.

Quamvis, nescio qua ratione, explicet sese anima in manu, non potest illam reddere videntem. Ergo nec major explicatio ejusdem caloris, potest reddere subjectum magis calidum. Quod etiam dici debet ad instantiam de speciebus. Illi paritati de quantitate negatur antecedens. Nam non ad quantitatem spectat rarefacere. Paritas de Gratia ostendit aliquid sequi contra principia arguentis. Ex eo calor, dat subjecto denominationem magis calidi, quia magis se in illo explicat, & non dat ab initio, denominationem magis calidi, quia non ita se in illo explicat. Ergo etiam & gratia in Christo, non fuit ita explicata, ut in creatura; cumque hæc major explicatio fundet intensificationem, sequitur in Christo non fuisse ita intensam gratiam, ac in infante in quo est magis explicata, datus scilicet illi denominationem filii. Quod si dicas gratiam in Christo fuisse maximè explicatam. Ergo cum ex majori explicatione sequantur denominationes ulteriores, ex ut huius principii Christus Filius adoptivus erit. Quod si dixeris, ex subjecti incapacitate non posse Christum denominari Filium adoptivum, Ergo jam deseris principium illud de majori explicatione. Ergo paritas non tenet, nam non denominatur Christus Filius adoptivus, quia est subjectum incapax. Ergo cum subjectum calidum, capax sit ut denominetur magis calidum, cur ita non denominabitur.

OBJICIT II. Bannez. Essentia qualitatis consistit in indivisibili. Ergo qualitas non potest habere partes, quæ illi per intensificationem addantur.

RESPONDETUR. Essentia materiæ consistit in indivisibili, itemque quantitatis & tamen materia

materia habet partes entitativas, quantitas, extensas, bicubitum item consistit in indivisibili, quia si illi addas siue demas non erit bicubitum, & tamen bicubitum habet in se plures palmos. Directè autem dicitur essentiam qualitatibus & aliorum, quoad Metaphysica prædicata, stare in indivisibili; compati tamen potest illa indivisibilitas divisibilitatem Physicam.

OBJICITUR III. Purus actus non habet quidquam potentiae. Qualitas est purus actus. Ergo non habet quidquam compositionis, consequenter nec additionis partis ad partem.

RESPONDETUR. Phrasim in hoc argumento non esse exactam. Ly enim actus purus supponit pro Deo, vera ergo erit propositio de actu puro Increato, non creato; dicique potest, actum creatum non habere quidquam potentiae, hoc est, materiae, prout illi appropriatur Ratio potentiae & subiecti: nam forma quæ talis non dicit materiam, falsum tamen est, quod non dicat quidquam potentiae, in ordine ad aliquod creatum constituendum, consequenter dabitur adhuc locus ad constituendum intensum per additionem partis ad partem.

Agendum hic esset de mente Sancti Thomae, de ea exacte Hurtadus sectione 5. Inter locos adduci solet ille, quo docet, formam separatam à subiecto, non posse intendi, sed hanc auctoritatem rectè explicat Cajetanus, quod scilicet si daretur forma, quæ non esset in subiecto, nec ordinem diceret ad illud, talis forma intendi non posset, siquidem intentio exigit fieri in eadem parte subiecti. Pro nobis est S. Thomas 2da 2da quæst. 24. Art. 4. ubi docet, eos propriam vocem ignorare, qui dicunt habitum charitatis per radicationem intendi in subiecto, quin ipsa charitas in subiecto augeatur.

DIFFICULTAS III.

De Gradibus Intensionis.

Id quod præcipuè in hac materia quæritur, est; An gradus intensionis sint homogenei, hoc est ejusdem rationis, soloque præcisè numero distincti; an verò heterogenei, seu diversæ rationis, & plusquam numero distincti.

Punctum Difficultatis 1.

An gradus Intensionis sint homogenei?

DOCET esse gradus heterogeneos Suarez. Hurtadus. Lugo de Incarnatione Disputatione 5. Sect. 7. n. 44. Negat Vasquez. Arriaga. Recentior Suarez.

DICENDUM est. Gradus intensionis esse homogeneos; Missis aliorum probationibus, quas confutatas videbis apud Recentiores.

PROBATUR Conclusio. Ex una parte non implicat contradictionem intentio, quæ fiat nisi per additionem homogeneam, sicut etiam non implicat alia quæ fiat per additionem heterogeneam. Ex altera parte, nulla est necessitas, & nullum fundamentum heterogeneæ pluralitatis. Ergo sicut non sunt multiplicanda Entia sine necessitate, ita nec heterogeneanda.

PROBATUR 2. Ponamus unum gradum intensionis; hic cum sit Materialis, continet in se plures partes & proportionales, & aliquotas, quæro, an illæ partes unius gradus sint homogeneæ? an heterogeneæ? si homogeneæ? Ergo & reliqui gradus poterunt esse homogenei, non enim major ratio unius, quam alius. Si heterogeneæ, quæro, an omnes sint heterogeneæ? an aliquæ? Si aliquæ tantum, Ergo dabuntur alia homogenea, cur ergo non & gradus, quod si omnes partes illius unius gradus, sunt heterogeneæ, quæro an partes illæ sint divisibiles? an indivisibiles? si indivisibiles, redeunt argumenta facta in Materia de Quantitate contra Zenonistas. Si autem sunt divisibiles. Ergo in illa heterogeneitate, sunt similes adeoque homogeneæ, Ergo & gradus homogenei esse possunt.

PROBATUR III. Communiter à pari. Quæcunque ratio probat partes quantitatis esse ejusdem rationis, & posse nihilominus facere extensionem, eadem probabit, esse posse partes ejusdem rationis, & facere intensionem.

RESPONDEBIS. Quantitatem, cum sequatur Materiam, quæ ipsa habet partes homogeneas, debere habere iidem partes homogeneas, ita passio sequatur naturam subiecti.

CONTRA. Quia saltem intentio Materialis sequitur Materiam, cur ergo saltem illa non habebit partes ejusdem rationis? reditque argumentum. Potest sequi extensio naturam materiae, partes homogeneas habentis, & tamen non nisi partibus homogeneis. Ergo & intentio.

OBJICITUR I. Qualitas magis perficitur intensione quam extensione, quæ perfectior salvari non potest, si sint gradus homogenei, nam iidem gradus qui sunt in extensione, si ponantur in eadem parte subiecti, perficient intensionem.

RESPONDETUR. Argumentum multum probare, probat enim etiam gradibus heterogeneis non posse perfici intensionem, quia gradus v.g. Quintus posset poni in prima extensionis parte aliquota. Directè autem dici potest quod Qualitas magis perficiatur, intensione quam extensione; sed hoc non obstante, poterit adhuc illud esse Intentio, quod aliàs foret non nisi Extensio, casu quo in eadem parte subiecti, eadem Qualitas ponatur, nec oppositum probat Argumentum.

INSTAT Hurtadus. Perfectio extensiva, est valde materialis, & per accidens; hinc hoc complexum Deus & creatum est perfectius exten-

tensivè ipso Deo, quamvis intensivè nihil possit esse Deo perfectius.

RESPONDETUR. Concedo interim totum, nego autem inde sequi, quod qualitas non sit intendenda, si id, quod extensivè in pluribus erat positum, in eadem omnino parte subiecti ponatur; quæ intensio non competet Deo addita creatura, quomodo enim reciperetur in eadem parte subiecti, Deus & creatura, quomodo ordinaretur ad eandem rationem, &c.

OBJICITUR 2. Si intentio efficeretur sola additione graduum homogeneorum, non esset ratio, cur potius primus producat, quam secundus. Item cur in remissione hic potius expellatur, quam alius; & tamen certum est, cum gradu caloris octavo, non posse stare naturaliter vel unum gradum frigoris.

RESPONDETUR. Unumquodq; agens calidum ut octo, habet plures numero inde sua virtute gradus heterogeneos, quos producere potest; unde ergo provenit, quod hunc potius gradum heterogeneum producat; si id referes in ordinem à Deo præstitutum, referemus & nos. Quod attinet ad remissionem cur hic potius vel ille gradus expellatur, referri etiam debet in determinationem divinam; quod non est novum, cum desunt alicujus indifferentia determinativa creata, quodque unus gradus frigoris non sit possibilis cum gradu octavo, non oritur ex speciali aliqua conditione gradus octavi, sed quia subiectum est incapax, vel quia octo gradus caloris, exemplo debellant unum gradum frigoris. Et sicut referre tu id posses in excellentiam gradus octavi, ita & nos referre possemus in excellentiam omnium simul positorum.

INSTABIS 1. Non est major virtus requisita in subiecto informato octo gradibus caloris, ad recipiendum unum gradum frigoris, quam sit in eodem subiecto informato octo gradibus caloris, ad recipiendum octo v.g. gradus lucis; imò plus videtur esse recipere octo gradus lucis; quam recipere unum frigoris, sed potest v.g. aer calidus ut octo, recipere octo gradus lucis. Ergo poterit recipere & unum frigoris.

RESPONDETUR. Rigorose & pressè loquendo, nec secundum phrasim communem, non ex incapacitate subiecti oritur, quod cum octo gradibus caloris non possit stare unus gradus frigoris, si enim ex incapacitate subiecti id oriretur, etiam divinitus id non fieret, quia capacitas subiecti, est ipsa entitas subiecti: si ergo entitate sua repugnat subiectum recipere illos gradus, illam entitatem capacem non potest reddere etiam Deus. Sicut quia entitate sua Rationale repugnat Irrationali, ne divinitus quidem Rationale fieri potest Irrationale. Ordinariè tamen dicitur id proficisci ex incapacitate subiecti latiori modo; quia scilicet cum agens nullum sit, quod subiecto calido ut octo, manenti calido ut octo,

inducere possit unum gradum frigoris, sit, ut dicamus incapax esse subiectum: quia capacitas proxima respicit naturale agens. Quod autem non detur tale Agens inductivum, rejici id debet in naturam ipsorum accidentium, & contrarietate à posteriori cognitam, secundum quam, ignem qui est calidus ut octo, non dicimus unquam frigere. Quia autem calor non habet talem contrarietatem cum luce, stare cum illius, non tantum uno, sed etiam octo gradibus potest.

INSTABIS 2. ex Oviedo. Ponamus quod subiectum habeat gradus quatuor caloris, & quatuor frigiditatis, accedat aliud agens, quod inducat unum gradum caloris, eo casu non est ratio, cur potius cedat aliquis gradus caloris, quam frigoris, idque ideo, quia gradus caloris adveniens non opponitur cum gradibus frigoris, imò stare cum illis posset, si non inveniret subiectum octo gradibus informatum. Ergo opponitur cum tota nonnisi illa collectione. Ergo non erit ratio, cur potius cedat unus gradus frigoris quam caloris.

RESPONDETUR. Attendo ad impossibilitatem una cum octo gradibus præexistentibus unius insuper gradus, ex vi huius tituli, non magis calor deposcet expulsionem unius gradus caloris, quam expulsionem unius gradus frigoris; idem enim titulus, nempe octo gradus, utrobique reperitur; nihilominus unus gradus caloris, respectu subiecti quatuor gradibus caloris, & quatuor gradibus frigoris informati, alio titulo determinat sibi potius expulsionem frigoris, nempe ratione oppositionis contrariæ, secundum quam pugnant inter se; contrariæ inquam, & non tantum dissimilis, quia aliàs accessus caloris, deberet deposcere expulsionem coloris, cui etiam dissimilis est: & cum gradus præexistentes frigoris non potuerint resistere ut non produceretur ille gradus, nec etiam se poterunt conservare, & defendere omnes, in circumstantia præcipue aliorum etiam præexistentium graduum caloris.

INSTABIS 3. Maurus quæst. 28. Operationes naturæ sunt ordinatæ per se, & non solum per accidens, sed in alteratione prius inducitur unus gradus, deinde alius. Ergo certus gradus ex sua natura intrinseca postulat introduci post alium. Ergo tales gradus habent aliquam heterogeneitatem ordinis.

RESPONDETUR. Concedo, quod operationes naturæ, sint ordinatæ per se; ad salvandam tamen hanc ordinationem, non est necesse ponere in ipsis gradibus heterogeneitatem; certè enim quando generatur aqua, aer, ignis, terra, est illic operatio naturæ per se ordinatæ, nec prius generatur multum aquæ, antequam generetur minus aquæ, & tamen ad hoc salvandum, non est necesse ponere partes illas substantiales elementorum heterogeneas, ita nec in præsentem

† (E)

erit

erit necesse illas ponere; salvaque homogeneitate, erit illa operatio naturæ per se ordinata, quia scilicet non potest fieri prius major intensio, postea minor, licet per se, non sit ordinata illa operatio hoc sensu, quod sit ordo per se, inter ipsos gradus adlativos Intensionis.

OBJICITUR 3. Si gradus sunt homogenei, sequitur non intendi tantum aliquid, quin possit intendi magis: quia quando aliquid crescit per extensionem, non ita crescit, quin magis & magis semper possit crescere; idque ideo: quia quantitatis partes sunt homogeneæ. Ergo etiam non ita aliquid intenditur, quin magis & magis intendi possit cum etiam intensionis partes sint homogeneæ.

RESPONDETUR. Querendo, cur si gradus sint heterogenei non sint ulterius multiplicabiles, adeoque magis intendentes, si id referatur in incapacitatem subiecti, vel defectum agentis productivi; idem & nos dicemus.

INSTABIS. Transferat Deus homogeneum calorem ignis A, in ignem B, additio illa, vel faciet magis calidum, vel non, si non faciet. Ergo nec prior additio graduum homogeneorum fecit magis calidum, si faciet. Ergo per nos non est ratio, cur magis & magis intendi non possit calor.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum, in casu quo heterogeneus calor unius ignis transferatur in alium; directe dici potest, in intensionibus talium qualitatum haberi terminum supremum, ipsos octo gradus, hinc quidquid ultra poneretur magis intensum? non faceret.

OBJICITUR 4. Si ad rationem intensionis sufficiunt gradus homogenei, sequitur quod si divinitus duæ quantitates in eadem parte subiecti recipiuntur, redderent subiectum intensius quantum, & tamen hoc falsum est.

RESPONDETUR. Disparitatem esse; quia ad intensionem non solum id requiritur, ut aliquid sit in eadem parte subiecti, sed etiam ut sit natura sua de genere qualitatis; quod ipsum non sufficit, quia multæ dantur qualitates quæ non sunt capaces intensionis, & ita potentia, si essent distinctæ ab anima, censent omnes quod non essent intensibiles, sed sequerentur conditionem animæ, quæ non intenditur, & licet quidem perfectiones aliquæ dentur, quæ quamvis consequantur suas essentias, nihilominus intenduntur, id nihilominus verum est de passionibus, quæ ad diversas formas disponere possunt; sic humiditas, frigiditas, aqua, sunt passionibus, intensibiles tamen, quia ad diversas formas disponere possunt, jam autem quantitas nec est de genere qualitatis, & quamvis foret non ostenditur, quod secum traheret prædicatum: Intensiva ideo quantitas multiplicatio posita, in eadem parte subiecti non intenderet illud.

NOTO ex Arriaga & recentiori Suarez. Ca-

su quo octo partes quantitatis penetrarentur, & in singulis partibus quantitatis esset unus gradus caloris, adhuc non intenderetur calor ut octo, quia ille gradus esset in diversis partibus subiecti, quantumvis penetratis, & sic v.g. albedo partium corporis Christi, est penetrata, neque tamen Christus in Eucharistia & magis albus, quam in cælo, quia illi gradus sunt in diversis partibus subiecti, quantumvis penetratis.

INSTABIS. Tam perfecte quantitas unius digiti est quantitas, quam quantitas unius palmi, idque ideo quia quantitas partibus homogeneis constat. Ergo etiam tam perfectus erit unus gradus qualitatis quam octo, quia eis convenit homogeneitas partium.

RESPONDETUR. Cum quantitas non sit qualitas, & recipi etiam non possit in eadem parte subiecti, non faciet intensionem. Secus unus gradus qualitatis, qui gradibus octo est æquivalens quoad prædicata essentialia, non autem numerica & individualia.

OBJICITUR 5. Si intensionis gradus sunt homogenei, sequitur quod si in Intellectum aliquis plures cognitiones aliorum transferrentur, intensius ille cognosceret objectum; nihil enim decisset ad intensionem: nam cognitio ex sua parte admittit intensionem, ex altera parte per nos intensio, multitudine homogenea stat.

RESPONDETUR. Eo casu non futuram cognitionem illam intensiorem, quia ad hoc ut fiat intensio per additionem gradus ad gradum, est necesse ut subiectum possit participare rationem, sibi ab illis formis tribuendam; & sic si non posset calor calidum facere, non intenderetur per illum calorem calidum, cum ergo cognitio ab uno principio producta, non possit aliud principium reddere intelligens, fit ut multiplicatio illarum cognitionum, non reddat animam, in qua illæ cognitiones recipiuntur magis intelligentem. Quodque in aliis intensionibus est unitas subiecti, quod intenditur, hoc in actu vitali est unitas ipsius actus. Quia ergo non intra unitatem ipsius actus, sed cum illorum plurificatione fit illa multiplicatio, non fundabit actum intensiorem.

Punctum Difficultatis 2.

Solvitur principale fundamentum.

OBJICITUR Suarez. Si gradus intensionis omnes sunt homogenei, sequitur quod agens, potens producere octo gradus in diversis partibus, possit eosdem in eodem subiecto producere, quod si verum sit, sequitur agens ut quatuor, quod potest in diversis partibus subiecti, producere calorem ut tria, fore etiam potens producere in eodem subiecto. Ergo poterit producere maiorem intensionem quam habet. Eadem difficultas sic aliter proponitur calidum ut quatuor,

tuor potest producere unum gradum caloris in subiecto frigido. Ergo etiam poterit producere unum gradum caloris in subiecto calido ut quatuor, est enim ejusdem rationis cum gradu caloris uno, producendo in frigido. Ergo si potest illum producere in subiecto frigido, poterit etiam producere in subiecto, calido ut quatuor.

Advertit Oviedo circa hæc præsentem difficultatem versari, cur agens non producat in prima parte subiecti totam qualitatem, quam potest in tota sphaera producere? cur saltem non producat talem intensiorem? cur nullum gradum in passo sibi simili producere possit? cur in passo sibi dissimili quoad gradum unum, illum saltem gradum producere non possit? &c.

RESPONDET Oviedo I. & supponit agens habere sphaeram divisibilem & terminum definitum ut probat experientia, supponit ite quod agentia habeant determinatam virtutem agendi, cum & ipsum esse illorum sit finitum & determinatum. Quo supposito rationem dat, cur in prima parte non producat agens omnes gradus, quos alias in sphaera activitatis producere potest: quia si omnes produceret, nihil ulterius in sphaera posset producere, neq; haberet sphaeram divisibilem, quod autem non producat talem intensiorem, qualem in se habet, aut majorem rationem reddit, quia habet sphaeram finitam & limitatam, quam non haberet, si produceret effectum æquè intensum, quia si calor ut octo, existens in parte A: produceret calorem ut octo, calor ut octo productus in B. parte produceret alium calorem ut octo in parte C, & sic nunquam terminaretur activitatis sphaera: dicit ulterius quod agens in sua virtute contineat certos & determinatos gradus qualitatis, quos semel potest producere, & ex altera parte habens sphaeram divisibilem, sic gradus quos producere potest dispensare debet, ut in omnibus partibus illius, aliquem gradum caloris producat. Cujus ulterior ratio a priori est. Quia omnes gradus quos potest producere insumpsit in determinata sphaera. Quare autem nullum gradum in passo sibi simili producere potest, & in passo sibi dissimili, quoad unum gradum, non possit nihilominus illum gradum producere, rationem dat, quia scilicet agens est potius sollicitum de conservandis illis gradibus, quam de producendo novo, neq; illos potest conservare, & alium producere, quia eadē virtus requiritur ad conservandum, & ad producendum. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT I. Quia ut videre est apud ipsum hic puncto I. n. 19. non debet rejici solutio hujus difficultatis in naturam agentium, quod ipsum tamen facit Oviedo. Quia si quæram cur divisibilem habeat agendi sphaeram, nulla alia ratio reddi potest nisi rejiciendo in naturam agentium. Rursus si quæram, cur agens in sua virtute non nisi certos gradus contineat, quos simul potest producere, etiam si in remo-

tioribus possit adhuc aliquid, referri non potest nisi in naturam agentium, si quæram, cur obligatum sit agens ita dispensare actionem, redditur ratio natura agentium. Si quæram, cur agentia potius sint sollicita de conservandis ab alio agente productis gradibus, quam de aliquo à se producendo, id etiam non nisi in naturam agentium referri potest.

NON SATISFACIT 2. Quia immerito assumit quod si calor ut octo in parte vicina produceret calorem ut octo, quod inquam non haberet sphaeram finitam & limitatam. Quod ipsum probatur. Possibile est agens quod haberet certam & determinatam sphaeram, quamvis in singulis partibus æquè intensam producat qualitatem, quo casu adhuc limitatū esset illud agens. Sic v. g. Angelus habet limitatam suæ locabilitatis sphaeram, quam se toto implet, & æquè est in prima parte loci, ac in secunda, & in omni ejus parte æquè agere potest. Neq; tamen ultra sphaeram locabilitatis, locare se potest, aut extra illam agere, habetque adhuc & locabilitatis & activitatis sphaeram finitam. Ergo ex præciso titulo æqualitatis agendi, in tota sphaera, non debet inferri infinitas agendi, quod ipsum in hoc resolvitur. Quia aliud est æquè agere posse in tota sphaera, & aliud est extensio sphaeræ. Poterit ergo quoad sphaeram esse determinatum agens, quamvis in tota sphaera, æquè agere possit; sed istis etiam positis, divisibilitas sphaeræ agendi salvari posset ex certa parte, in quam agitur divisibili.

NON SATISFACIT 3. In quantum docet sollicitum esse agens potius de conservando, quam de producendo novo gradu. Ratio, quia fieri potest ut ab alio principio conservetur illa qualitas eoq; naturali, cur ergo tunc sollicitudinem illam de conservando nō deponet, & non transfert illam ad producendum, & cur tam multum rationis, ut ille in simili inquit,tribuendum sit agentibus, quæ ita respiciant ad conservationem, & nolint se movere ad productionem. Danda ite ratio, cur agentia potius sint sollicita, de conservandis quam de producendis gradibus.

RESPONDETUR 2. communiter. Quia scilicet finis agentis est, assimilare sibi passum, quo sine cessante, cessat actio; hinc non agit in sibi simile, non defectu virtutis, sed defectu finis inveniendi ab agente. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT I. Quia ex eo quod agens intendat assimilare sibi passum, nō respondetur ad prædictas difficultates. Nam in primis ex eo, quod agens intendat assimilare sibi passum, sequitur debere illud assimilare cum potest, sed eo casu quo calidum ut quinq; produxit in prima parte non nisi tres gradus caloris, potest assimilare sibi passum, producendo eos gradus residuos duos, quos in remotioribus partibus produxit. Ergo eos producere poterit. Deinde prædicta responsio probat, quod in remotio-

† (E) 2 ribus

ribus partibus nihil deberet producere, sed totum se conferre, nonnisi ad primam partem.

NON SATISFACIT 2. Calidum ut quinq; producens plures gradus quam quinq; in remotioribus partibus subiecti, non censetur agere contra finem agentis, qui est assimilare sibi passum; quod passum, illius est tota sphaera. Ergo etiam non censetur agere contra finem agentis, cuius est assimilare sibi passum, si producat in parte passi totum id, quod producit in passo antonomastice, hoc est in tota sphaera activitatis.

NON SATISFACIT 3. Quia posito calido ut quatuor, sequitur ab alio calido ut quatuor, debere produci alios quatuor gradus caloris, quod ipsum probatur. Tunc debet producere calidum ut quatuor, alios gradus ut quatuor, quando potest obtinere finem a natura intentum, qui est assimilare sibi passum. Sed tunc poterit adhuc assimilare sibi passum, quia illi priores gradus non sunt passum illius, sed nonnisi posteriores quos produceret. Ergo nonnisi posteriores producendo assimilaret sibi passum. Et sic hanc assimilationem in eo stare ut nec ab alio principio inveniatur simile quid productum, hoc ipsum probari deberet.

Omnes has difficultates, dicunt seclare solvere, ii, qui gradum heterogeneitatem defendunt, dicuntq; calidum ut quatuor in alio calido ut quatuor non producere unum gradum, quia deberet producere quintum, quem producere non potest, utpote nobiliorem illis gradibus; debilius autem non potest producere effectum fortiolem. *Nihilominus*

RETORQUETUR 1. argumentum. Quarendo cur in 1. parte subiecti, in qua supponitur calidum produxisse duos gradus heterogeneos, cum alios duos sequenti tempore producat, cur inquam eodem tempore illos non producit, idq; in eadem parte subiecti, si id referatur in conditionem agentis, etiam nos referemus, cur non producantur illi gradus homogenei; si id referatur in debilitatem principii. Contra erit, atque est agens potens in prima ac in secunda parte temporis. Deinde cur illas vires quas effudit ad alios gradus producendos, in remotioribus partibus, non colliget ad nobiliores gradus producendos, bene enim dicere possemus etiam nos, quod maiores vires requirantur ad producendum in eadem parte plures gradus simul, quam dispersim, nec adhuc reddunt rationem, cur in passo sibi dissimili quoad gradum unum, non possit poni ille unus gradus.

DICES. Supra contra responsionem Oviedo, dictum esse non debere securri, ad naturam agentium.

RESPONDETUR. Dictum est non debere recurri hic ad naturam ipsorum agentium, quia concessit Oviedo non esse recurrendum, cui tamen ostensum est, quod ad naturam agentium recurrat. Hic autem recurritur ad naturam ipsorum agentium, ex concessis.

RETORQUETUR 2. Argumentum, quarendo, quando producit agens calidum ut octo, in parte proxima tres gradus, an etiam in partibus remotis producat gradum, qui sit homogeneus, cum aliquo ex illis tribus in parte eadem subiecti producat, vel heterogeneus. Non possunt dici heterogenei, quia per illos primus gradus caloris producit nonnisi gradum primum, & secundus secundum, erit ergo homogeneitas. Quod si gradus in partibus remotioribus producti sunt homogenei, cum gradibus in parte viciniore productis, quærere restat, cur in eadem parte subiecti non fuerint producti. Ergo ulterius, tota sphaera illa, constat gradibus non solum heterogeneis, sed etiam homogeneis. Ergo idem dici poterit de intensione. Denique si illi gradus sunt homogenei, cum eodem tempore producantur cum gradibus productis, in proxima parte, & primum gradum in illa non producit, nisi primus gradus agentis, qui fiat ut unus gradus, vim habeat similes eodem tempore gradus producendi? Unum quidem in propinquiore, & alios in partibus remotioribus; curque illas vires non colligit, vel ad producendos nonnisi heterogeneos, vel ad homogeneos in eadem parte. Neq; valet si dicas. Quod in eadem parte subiecti, non possent esse plures gradus ejusdem rationis, cur non enim? Sicut possunt esse in eadem sphaera: & si dicatur ex natura agentis oriri, quod non possit in eadem parte subiecti eos gradus ponere, dicemus & nos, ex natura subiecti oriri, quod eos gradus simul ponere non possit, qui ponuntur divisim.

RETORQUETUR 3. argumentum. Quia casu quo sit passum intensum ut quatuor, & accedat agens intensum ut quinque, non est ratio cur in passo ut quatuor, non producat gradum ut quinque, nam habet gradum æque nobilem, qui, non est ratio cur non principiet illum gradum ut quinque. Neq; valet si dicas, quod antecedentes gradus inveniatur ab alio principio productos, quæ enim hujus ratio quod jam tunc agere non possit ulterius, etsi invenisset duos gradus, potuisset addere alios duos, cur non illum quintum gradum? Unde in solutione hujus difficultatis non poterit recurri ad heterogeneitatem, ad quam tamen unice recurritur.

Hac retorisione posita

SUPPONO. Imprimis agens agere uniformiter difformiter, hoc est producendo sibi similem qualitatem, non tamen cum intensione tanta, qualem habet, & quidem in parte remotiori producendo qualitate minus intensam. Quod si velis dicere servandam esse hanc uniformem difformitatem, quantumvis in viciniore parte, producat totum simul quod potest sparsim, modo in parte remotiori, producat aliquid non ita intensum, ac in prima, si inquam id velles dicere, verum erit quod ager tunc agens uniformiter difformiter; sed jam non satisfacies experientia & principio, quod jam

SUPPO

SUPPONO 2. Unumquodq; agens, habet a-
ctivitatis suæ sphaeram, in qua agit semper, quod
si habet certam activitatis suæ sphaeram, obli-
gatum est in tota illa agere. Sed si in partibus
vicinioribus produceret id, quod deberet pro-
ducere, in remotioribus partibus, vel adhuc pro-
duceret aliquid in iis partibus remotioribus, vel
non produceret. Si nihil produceret. Ergo non
impleret sphaeram activitatis. Si autem produ-
ceret aliquid. Ergo illa sphaera & esset sphaera
activitatis illius, ut supponitur; & non esset,
quia haberet vires sufficientes ad agendum et-
iam ultra illam, nam conferendo vires ad pro-
ducendum in parte viciniori, quod aliàs produ-
xisset in parte remotiori, & tamen agendo etiam
in partes remotiores, ostendit sphaeram suam a-
gendi, non claudi vi illa priore agendi conversa
ad partes viciniores, sed posse illam extendi ad
partes remotiores, adeoque priorem illam sphae-
ram, non esse adæquatam sibi.

SUPPONO 3. Si ulterius quæras, cur unum-
quodq; agens habeat determinatam activitatis
suæ sphaeram, reddi potest ratio, quam adfer-
rent oppositi; cur etiam in ipsorum sententia,
sit determinatum agens, ad tantam heteroge-
neitatem graduum, & in tanta extensione po-
nendam? Ratio rursus reddi potest, quia con-
ditio operandi, sequitur conditionem essendi.
Si ergo conditio essendi est limitata, etiam erit
limitata conditio operandi. Quod si quæras,
quare tantam & non maiorem habeat conditio-
nem operandi, iteratoid in conditionem essendi,
ita vel sic limitatam referri debet. Videmus
enim plura Angelos nosse quàm homines, plu-
ra Deum, quàm Angelos; exigente ipsa condi-
tione essendi, talem conditionem operandi, ad
quam etiam in præsentia attendi debet.

SUPPONO 4. Quando aliqua sunt æquè li-
mitata in ratione essendi, sunt etiam æquè li-
mitata in ratione operandi, & si unum ex illis
non potest aliquid agere, etiam aliud ex illis
non potest idem agere, si negatio agendi oriatur
ex defectu virtutis. Atque ita si v.g. calidum ut
quatuor, non possit agere aliquid, nec produ-
cere aliquem gradum, idque defectu virtutis, nec
aliud calidum ut quatuor, poterit quidquam
agere, cum, quæ est ratio non agendi in uno, sit
etiam ratio non agendi in alio, nempe defectus
virtutis.

SUPPONO 5. Omnia hæcenus dicta, resolvi
ultimatè in naturam agentium, à posteriori no-
bis cognitam. Quod autem non sit absurdum,
ultimatè aliquas difficultates in naturam agen-
tium refundere, pluribus ostenditur; & ita v.g.
calidum opponitur frigido. Cujus ratio reddi
non potest ultima, nisi natura à posteriori per
experientiam cognitio. Rursus, posito quòd
dentur species visibiles, penetrant se in eadem
parte subiecti, nec tamen efficiunt confusam
visionem, cujus ratio ultima, est natura specie-
rum, & sic de reliquis. *His Suppositis*

RESPONDETUR. Primæ difficultati, cur non
producantur in prima parte omnes gradus, qui
possunt produci in partibus remotioribus; quia
scilicet agens habet sphaeram activitatis determina-
tam, quam implere non posset, si eos gradus,
quos deberet producere in parte remotiori,
produceret in parte proxima, ut dictum est sup-
posito secundo.

RESPONDETUR 2. difficultati. Cur scilicet
non producat tanta intensio, quantam in se
habet agens accidentale. Quia obligatum est
agere uniformiter difformiter, ut dictum est
supposito primo & secundo.

RESPONDETUR tertiæ difficultati. Cur pas-
sum illud calidum v.g. ut quatuor, non possit
producere in seipso quintum gradum. Cur
item aliud agens calidum ut quatuor, in eodem
passo nihil producere potest, idque ideo, quia
duo agentia similia, ejusdem etiam sunt condi-
tionis in operando, ut dictum supposito quarto.

RESPONDETUR difficultati quartæ. Quia
actio, semper debet esse in talibus agentibus u-
niformis difformis: hinc in calido ut quatuor,
non potest calidum ut quinque addere illum u-
num gradum.

INSTABIS ad responsionem quartam, quòd
passum intendere seipsum non possit, non est ex
defectu virtutis, sed ex eo quod nihil agat in se-
ipsum.

RESPONDETUR. Sicut ignis se augmentans
non dicitur agere in seipsum, quia illud passum
in quod suam formam induit, est ab illo distin-
ctum realiter, quamvis postea ratione partium
homogenearum, cum illo continuetur, conse-
quenter si calidum ut quatuor, produceret in se
quintum gradum, nondum ageret in seipsum,
adeoque quòd in se non producat illum quintum
gradum, non debet rejici in hoc, quòd ageret
in seipsum. Quod si transferas difficultatem &
inquiras, cur ipsum passum calidum ut quatuor,
non possit in seipso producere quintum gra-
dum, recurri debet ad naturam agentium se-
cundum suppositum quintum.

Punctum Difficultatis 3.

Satisfit instantiis Theologicis.

OBJICITUR 1. Si staret intensio gradibus ho-
mogeneis, non posset salvari intensio visio-
nis beatificæ. Quod ipsum probatur. Qui in-
tensus videt Deum, visio illius est dissimilis vi-
sioni eorum, qui vident Deum remissius; sup-
ponamus enim unum sanctum videre Deum vi-
sione intensa ut octo, quatuor autem sanctos vi-
dere Deum visione intensa, ut duo, quo posito
visio illius qui videt Deum visione intensa ut o-
cto debet esse dissimilis visioni illi quatuor San-
ctorum, si enim non esset dissimilis, æquè illi vi-
derent Deum ac videt ille perfectius videns.

RESPONDETUR communiter, quòd collecti-

† (E) 3

vè ac-

ve accepti illi quatuor sancti, æquè perfectè videant, ac videt unus ille, licet distributivè accepti, non æquè videant; sicut si decem habeant singulos denarios, & unus etiam decem, singuli distributivè accepti non erunt æquales illi uni divitiis, erunt collectivè accepti. Est alius satisfaciendi huic argumento modus, quia scilicet intensio, sicut debet recipi in eadem parte subiecti, ita debet recipi intensio actuum in eodem actu, quam unitatem actus, quia non habent visiones plurium sanctorum, habet autem actus illius unus, fit ut adhuc sit dissimilis in intensione, hæc una Visio, illis alijs pluribus.

OBJECITUR 2. Sequitur ex nostra sententia, quemlibet iustum mereri tantum gratiæ, quantum in ante præhabuit: nam actus meritorius dignitatem sumit, à persona magis digna dignitate gratiæ; quo posito, demus quod aliquis iustus habeat decem gradus gratiæ, ipsum dignificantis, sanè cuilibet gradui dignificantis, debet respondere saltem unus gradus gratiæ, quia uno gradu gratiæ non datur minus. Sequela autem concedi non potest, quia aliàs unusquisque iustus, mereri deberet semper duplum gratiæ, quod vix Beatissimæ conceditur. Quæ difficultas locum non habet, si gradus sint heterogenei; facile enim dicitur, actu illo non acquiri gradum gratiæ, superiorem omnibus antecedentibus, sed acquiri gradum non nisi gratiæ inferioris ordinis.

RESPONDETUR. Negando sequelam. Illam propositionem, actus meritorius sumit dignitatem à persona magis digna, dico esse veram, si cætera sint paria, inter quæ est, ut totus ille habitus, quantum potest, concurrat ad illum actum. Quia autem non ad unum, quemque actum, concurrat habitus quantum potest; hinc nec per unumquemque actum, meremur tantum gratiæ, quantum præhabuimus.

INSTABIS ex Hurtado. Casu quo idem obiectum pluries videatur v. g. in se, & in speculo; item audiatur sonus & echo, ex utraq; visione & auditione, non sit una perfectior visio aut auditio, scilicet duplex imperfecta. Ergo major intensio non fit additione gradus ad gradum.

RESPONDETUR. Præter dicta ex Arriaga, quod ad hoc ut dicatur intensio fieri, non solum sit necesse repræsentari idem obiectum, sed eodem modo, cum ergo non eodem modo repræsentetur Obiectum in seipso, & in speculo, fit, ut ex duabus visionibus, non constituatur una intensior visio. Quod attinet ad auditionem soni & echo, addit Oviedo, cum corrupto sono directo, tum primum fiat Echo, ideo ex sono & Echo una intensior auditio constitui non potest, quia illa quæ non existunt eandem intensiorem constituere non possunt.

Ad solutionem huius Instantiæ, & aliorum Argumentorum superius factorum:

QUÆRES. An visio unius, v. g. sancti, sit inten-

sior non additione gradus ad gradum (idem proportionaliter dicendo de operationibus vitalibus) sed ita, ut effectivè quidem proficiscatur illa intensio visionis Dei, à lumine gloriæ, & in alijs materiis, à potentia fortiore, vel magis applicata: Jam autem formaliter, ab ipsa indivisibili actus entitate, pluribus aliorum actibus æquivalente. *Ad quod affirmandum*

RATIO 1. haberi potest. Si visio (idem dic de quacunque operatione vitali intensior fieret) additione gradus ad gradum, vel illa additio esset, ratione gradus claritatis ad gradum claritatis, vel additione unius entitatis cognitionis, v. g. spiritualis, ad aliam cognitionem homogeneam neutro ex his modo salvari potest intensio cognitionis. Non primo, quia claritas & evidentia cognitionis, non est quid realiter à cognitione distinctum. Ergo per solam additionem gradus claritatis, ad gradum claritatis, non potest salvari intensio cognitionis, cum non sit distincta realiter à verbo mentis seu cognitione.

Non etiam secundo modo. Quæro enim, an illa cognitio sit una & indivisibilis, an plures, si est una, ergo illius intensio, non potest salvari per additionem gradus ad gradum: nihil enim additur sibi met ipsi. Sicut enim illa cognitio est multiplex. Contra erit, quia nemo dicit Sanctum, videntem intensè Deum, dicere simul plures actus circa Deum sed unum non nisi, & sicut quando aliquis intensè peccat, non dicitur plura peccata committere, sed unum, quod malitia æquivalet pluribus; ita idem dicendum de cognitione, quæ est visio Dei, & de alijs actionibus Vitalibus.

RATIO 2. Quia dum cognosco idem obiectum quod ante, ex eodem motivo, quo ante, sed hunc clariùs & evidentius, vel habeo cognitionem illammet ipsam, quam habui antea, & hoc non, quia à privatione ad habitum non datur regressus. Vel habeo plures similes illi, quas habui ante, & hoc non, quia non experimur nos multas habere cogitationes, ex eodem motivo, circa idem obiectum. Cum tamen diversitatem nostrarum cognitionum experiamur in nobis. Et si dicas illas non discerni, quia sunt ex eodem obiecto, & de eodem obiecto, & ex eodem motivo, cur illas ponis, cum pro illis nec ratio sit nec experientia. Ponamus item de aliquo obiecto cognitiones inevidentes, coeant illæ ad intensiorem faciendam, vel constituent cognitionem magis evidentem, vel magis inevidentem. Si constituent magis evidentem: Ergo qui intensius opinatur, evidentius noscit, si evidentius: Ergo habet evidentiam. Opinio autem evidentiam non admittit, consequenter nec ille jam opinabitur. Quod si illæ cognitiones constituent magis inevidentem cognitionem, ergo & ex pluribus cognitionibus remissis, constituetur potius magis remissa cognitio, quam intensa, tu autem vis intensiorem salvere.

RESPON-

RESPONDEBIS. Quod opinans, evidentiū sit habiturus quod opinetur.

CONTRA. Quia: cognitiones illæ non versantur circa opinionem, tanquam circa objectum penetrando an illud sit opinio. Hinc evidentiā, non debet crescere circa opinionem tanquam objectum, saltem solam; sed crescere debet circa objectum opinionis. Restat ergo ut dicas, quod quando ex eodem motivo, & circa idem objectum, nunc clariū versor, referendum id esse, in conditionem ipsius actus, supra descriptam.

RATIO 3. est. Quia si ex pluribus cognitionibus remissis, conflaretur una intensior, id ideo fieret, quia etiam ex pluribus gradibus caloris remissis, fit unus intensior, sed hæc ratio non evincit, quia non est absurdum dicere, quod manca unus gradus, & expectet ut ita dicam productionem aliū gradus; est autem absurdū dicere, quod una cognitio daret, quousque adveniat alia, numero solo distincta, nulla item est ratio vel experientia, quæ dicat, fieri simul plures illas entitates cognitionum, cumque illæ cognitiones etiam plures, secum consistentes, possint facere cognoscentem, pluribus cognitionibus cognoscentem, & non intensius cognoscentem, quomodo dicitur reddi intensius cognoscentem. Et certè accessu unius, tunc intenditur aliud, quando duo communicare possunt subiecto aliquid, quod unum non communicat, & sic duo gradus caloris intendunt subiectum, quia unus non potest hoc communicare, quod communicat alius; hinc & ipsum subiectum recipiens calorem, si experientia sit capax, experitur de illa additione magis calere. Jam autem duæ cognitiones de eodem objecto, ex eodem motivo, pares item in omnibus, non videtur, quid communicent subiecto, & cur se non habeant ita, sicut non nisi plures posita cognitio, sine ulla intentione. Denique experimur quod interdum habeamus cognitionem valde debilem de objecto, repetimus cognitionem, æquæ manet debilitas, quamvis ratione habitus acquisiti, facilioremur ad illas habendas. Experimur rursus, interdum de eodem objecto, ex eodem motivo, immediatè postea cognitionem sequentem intensiorem, clariorem, evidentiorem esse. Quæro: cur repetitio illa, cognitionem pro prima parte casus non causaverit intensiorem? Quæro, immediatè post succedens, cognitio, quare est intensior? Apparebit autem huius cognitionis intensiorem non haberi præcedentibus, quia in priori parte casus, supponebantur esse plures cognitiones, & tamen nihil plus esse evidentiæ. Neque valet si id referas in id, quod posteriori cognitioni coexistant; unde enim de hac coexistentia?

DICES. Intensio, ex dictis contra Durandum, non fit per productionem excellentioris entitatis, corrupta imperfectiori, Ergo nec intensio

cognitionis stabit in indivisibili illius entitate.

RESPONDETUR. Intensionem esse duplicem. Unam formalem, & aliam æquivalentem. Formalis intensio fit additione gradus ad gradum. Æquivalens autem in indivisibili aliquo consistet. In intensione formali, est necesse ut præsupponantur plures gradus, id est, tu existentes. In intensione autem æquivalenti, supponitur non nisi una illa entitas. Ratio quia cum illa formalis intensio stet additione, & addi non dicitur quod non est, necessariò deponitur existentia illorum plurium graduum. Jam autem intensio æquivalens, cum stet solo uno actu, nõ exigit aliorum minus remissiorum coexistentiam. Directè autem ad argumentum dici potest. Durandi sententiam non tenere, ob rationes contra illum supra allatas; quæ non militant pro præsentia.

DIFFICULTAS IV.

De Intensionis termino.

Sicut duplex est terminus, Unus à quo, & Alius ad Quem; ita & in intensione terminus à Quo est parvitas, terminus ad Quem est magnitudo. Quod attinet ad Terminum parvitatē in intensione.

ASSERO 1. Intensionem rerum materialium, habere terminos parvitatē, ultra quos naturaliter non potest existerē.

RATIO: quia intensio materialis exigit subiectum materiale, subiectum materiale quantitatē, quantitas autem determinat sibi certum minimum, ut explicatum est in quantitate, infra quod minimum conservari non potest. Ergo nec naturaliter conservari poterit intensio materialis, quæ etiam exigit naturaliter subiectum extensum, & hoc appellari potest: terminus parvitatē extrinsecus.

ASSERO 2. Posito quòd dari possit punctum materiale, dari etiam potest punctum qualitatis.

RATIO, quia non est major ratio, pro uno, quam pro alio.

ASSERO 3. Quamvis possit dari punctum qualitatis, non potest dari punctum seu indivisibile intensiōis.

RATIO. Tum quia illud indivisibile intensiōis, & esset indivisibile intensiōis, ut supponitur, & nõ esset: quia intensio formalis ut supponitur, stat pluralitate partium: nulla autem pluralitas in indivisibili intensiōis. Tum quia illud & esset intensum ut supponitur, & non esset intensum. Quia intensio formalis dicit augmentationem, additionem, & quo non posito, non esse illud Tale, magis Tale; jam autem indivisibile excludit ista: imò non apparet, quo tunc illud indivisibile intensiōis, esset distinctum ab indivisibili qualitatis, quidquid enim adferetur destruet in indivisibili intensiōis, rationem indivisibilis. Tum quia non est de ratione qualitatis esse intensam, aliàs non esset possibilis qualitas

† (E) 4 litas

litas, non intensa, detur ergo punctum qualitatibus; certè per aliud debet constitui in ratione puncti qualitatibus, per aliud in ratione puncti intensi qualitatibus. Quid autem illud?

DICES I. Non repugnat existentia intensio- nis indivisibilis.

RESPONDETUR. Repugnare ex dictis asser- to tertio existentiam indivisibilis intensio- nis formalis.

DICES 2. cum Arriaga. Non magis repugnat existere indivisibile intensio- nis, quam indivi- sibile extensionis.

RESPONDETUR. Hanc objectionem in du-plici sensu urgeri posse, nempe quod intensio salvari possit in indivisibili, & in hoc sensu fal- sum est, posse illam salvari quoad intensio- nem formalem ob dicta asserto tertio. In secundo sensu hæc difficultas urgeri potest, quia scilicet possibile est punctum, & tamen actu facere ex- tensionem. Ergo etiam possibile est punctum, & tamen intensum. Sed antecedens est falsum in sententia Aristotelis & nostra.

DICES 3. Formæ substantiales existere pos- sunt in indivisibili, & etiam aliquæ accidentales ut quantitas. Ergo etiam reliquæ formæ. Nam quod sint capaces intensio- nis non arguit, quod possent eam aliquando habere, quò differunt à substantialibus, & à quantitate, quæ neque habent, nec habere possunt intensio- nem.

RESPONDETUR. Si hæc obiectio non aliud velit, quàm quod forma possit salvari in indivi- sibili, Ergo & qualitas, quæ non sit actu intensa, & intensibilis. Sic nullo modo est contra nos, præcipue autem si concedatur esse possibile punctum qualitatibus.

DICES 4. Continuum componitur ex indi- visibilibus, Ergo & intensio.

RESPONDETUR. Etiam posita veritate ante- cedentis, non evincitur intentum, quia sicut non positis pluribus indivisibilibus non erit continuum, ita & in uno indivisibili non salva- bitur intensio.

DICES 5. ex Oviedo contra assertum secun- dum. Qualitas requirit certam & determina- tam intensio- nem ad operandum, Ergo & ad exi- stendum, Esse enim est propter operari.

RESPONDETUR. Cum actio semper sit ab ex- cessu, requiretur determinata intensio ad operan- dum, quia autem non ostenditur principium, quare non possit dari punctum qualitatibus, si im- possibile erit sit punctum materiale, ideo adhuc dari poterit punctum qualitatibus.

Quod ad Terminum Magnitudinis attinet.

ASSERO I. Quod non omnis qualitas habeat ter- minum suam magnitudinis in intensio- ne. Ratio est, quia non apparet implicanti- a, quare Divinitus magis & magis augeri non possit lumen gloriæ, v. g. & ex eo profecta Visio beata.

ASSERO 2. Qualitates, quæ non sunt dispositio- nes, etiam intra ordinem, non determinant sibi cer- tam magnitudinem. Ratio, quia non apparet cur sonus v. g. magis & magis augeri non possit, & cur sonativum majus & majus esse non possit.

ASSERO 3. Qualitates, quæ sunt dispositio- nes, habent terminum suam magnitudinis intra or- dinem naturæ. Ratio, quia quælibet causa habet determinativam vim agendi, Ergo & intendendi. Rursus omne agens agendo intendit assi- milare sibi passum, & cum ipsum habeat deter- minatam intensio- nem, etiam determinatam tribuet.

Utraque hæc ratio videtur multum probare, & impetere assertum secundum. Nam etiam sonativum habet determinativum esse. Ergo devenire erit ad sonum quo non fit major.

Commodius per hoc probatur assertum, cum formæ exigant dispositiones, debet inter illas & formas esse proportio, coequatio, & correspon- dentia, quod ipsa inductio ostendit. Et ita ea- dem specie siccitas, huic quidem elemento non nisi in excellenti, & alteri in summo com- petit; si sunt dispositiones æquo minores, non producitur illa forma, v. g. quæ est aurum, sed producitur æs; si autem sint dispositiones melio- res, producitur aurum; quod ostendit à formis determinari sibi dispositiones. Addit Oviedo, quod quamvis aqua exigat frigus ut octo, & ex accidenti fieri possit, ut contra suam exigen- tiam, careat ista passione aqua, dum calefit, nihil- ominus fieri non potest, ut supra exigentiam formæ, intensiores producantur dispositiones. Videmus item ignem, qui validissimus est in ca- lefaciendo, non procedere nisi ad determina- tum calefaciendi gradum, hoc est similem sui.

DIFFICULTAS V.

De Conclusionibus Intensio- nis.

Conditio omnium agentium: Indistantia est, quam alibi explicuimus: Alia conditio hoc axiomate exprimi solet: Simile non agit in si- mile; Finis agentis est, agere in similitudinem: Nihil agit in seipsum &c. Ad intelligendam naturam istius conditionis.

PRÆMITTO I. Duplicem posse spectari simili- tudinem inter agens & passum. Primo similitudi- nem in Forma substantiali, stantem cum simili- tudine in qualitatibus activis, v. g. aqua calidif- sima, & aqua frigida, sunt similes in Forma sub- stantiali, & dissimiles, hic & nunc in formis acti- vis, caloris & frigoris. Secunda similitudo po- test esse in formis substantialibus, & simul in for- mis accidentalibus activis. Qualis est inter ignem A, & ignem B.

PRÆMITTO 2. Similitudinem in activis qua- litatibus duplicem adhuc spectari posse. Primo simi- litudinem non nisi in sola essentia qualitatum activarum.

activarum, dissimilitudinem autem in gradu. Sic v.g. ignis, & aqua tepida, sunt similes in sola essentia qualitatis, quæ est calor; dissimiles autem in gradu, quia ignis est calidus ut octo, aqua autem calida v.g. ut quatuor. *Secundò* similitudo in activis qualitibus, spectari potest etiam in gradu qualitatis, qualis est quoad calorem in duobus ignibus, quæ ipsa similitudo in activis qualitibus, tam secundum speciem qualitatis, quam etiam secundum gradum qualitatis, dividitur adhuc in similitudinem, etiam in materialibus agendi conditionibus, & in dissimilitudinem in illis, nomine materialium conditionum, venit extensio, cœntitas, & cætera similia, sic v.g. ignis receptus in ferro, & ignis accensus in stupa; non sunt æquales in materialibus agendi conditionibus; ignis enim receptus in ferro, est denior igne recepto in stupa.

PRÆMITTO 3. Non esse questionem in hoc, an duo agentia similia in specie, jam autem dissimilia in qualitatibus activis possint contra se agere. Certum enim est calidissimam aquam infusam frigidæ, calefacere frigidum; sed est difficultas: An similia in specie, & qualitibus activis, possunt contra se agere. An verò quæ sunt similia in Essentia qualitarum; dissimilia autem in gradu, agere contra se possint, duplici sensu discutitur. *Primò.* Casu quo unum ab alio non excedatur notabiliter; An scilicet illud nobilius possit agere in minus nobile v.g. Aqua calida ut quinque in aquam calidam ut quatuor. *Secundò.* An ignobilius possit agere in nobilibus, quod alia phrasi exprimitur: An minus intensum, possit agere in magis intensum. Denique difficultas est; An similia in activis qualitibus, dissimilia quoad Materiales agendi conditiones, agere contra se possint.

Punctum Difficultatis 1.

An simile in omnino Simile agere possit?

DICENDUM est, simile in omnino simile non posse agere. Est conclusio Aristotelis 1. de Generatione textu 48. 54. 61. 78. 2. Physicorum textu 17. 2. de Anima textu 34. Et de conclusione quidem non est difficultas, sed ratio pro eadem difficulter assignatur.

1. **RATIO** est, quæ utitur Suarez & Complutenses. Quia agens in tantum agit, in quantum est in actu, & passum in tantum patitur, in quantum est in potentia, sed duo similia quoad speciem & quoad gradum qualitatis, non sunt in actu, & potentia respectu sui. Major probatur, quia agens in tantum agit, in quantum virtute sua continet effectum, & passum in tantum patitur, in quantum ex potentia reducitur in actum. Jam autem simile non est in potentia ut sit tale; quale est, sed actu est tale.

RESPONDETUR. Negando minorem, ne-

gando item similia respectu sui non esse in actu & in potentia, respectu novi de novo producendi similis, idque probandum fuerat.

2. **RATIO** est communis. Finis agentis est assimilare sibi passum, quem finem assequi non potest, cum jam invenit gradus, quos potest producere.

RESPONDERI potest, hoc argumentum non concludere. Supponamus enim assumi à DEO tanquam instrumentum calidum ut quatuor, vel tunc producendo ad duos gradus, producit sibi simile, vel non, si non. Ergo vel non producit calorem, vel non producit talem, qualem produxisset in subiecto, quod nullo calore informatum. Si autem produceret simile, Ergo quamvis naturaliter illos gradus produxisset, non censeretur dissimile sibi produxisse. Rursus hoc principium; simile non potest agere in simile, hic & nunc non supponitur aliunde cognitum, sed probandum est; unde qui negabit simile non agere in simile, negabit etiam finem agentis esse, assimilare sibi passum, quod ipsum si negetur, manebit nondum probata Conclusio.

3. **RATIO**, est quæ utitur Oviedo. Quia scilicet calidum ut quatuor, applicatum alteri agenti calido ut quatuor, est potius occupatum in conservandis jam productis gradibus, quam in aliis producendis. Sed hæc ratio, jam etiam in simili supra ab illo usurpata, à nobis impugnabatur. *Hinc aliter*

PROBATUR 1. Conclusio experientia, quia scil. nunquam deprehensa actio similis omnino, in simile omnino. Rursus calidum ut duo, nō redditur magis calidum, deberet enim reddi calidum usque ad octavum gradum, quia si calidum ut duo potest producere in illos gradus, etiam quatuor gradus, qui ipsi quatuor gradus, cur non possint alios quatuor usque ad octavum. Quod ipsum in hoc fundatur, quia sc. agens non potest id agere, quod ne agat, est conditione, & natura suâ determinatum ad hoc, sed ne simile agat in simile, est conditione & natura sua ad hoc determinatum, ut ostendit experientia, & absurdum quod, ut dixi immediate, sequeretur.

PROBATUR 2. Quando sunt duo aliqua ejus rationis, ut non sit ulla ratio, cur unum potius agat, quam aliud, neutrum aget. Sed sibi similia sunt talia, ut non sit ratio, cur unum potius agere debeat, quam aliud, Ergo utrumque non aget. Major probatur instantiis, quia quando non est ratio, cur potius hic lapis confringat illum, quam ille hunc neuter confringit. Equales item virtutes magneticæ tractivæ suspendunt trahibile, id quod etiam videre est in bilance. Quod ipsum in hoc resolvitur, quia actio determinat semper sibi agentem, & passio passum, ita ut sine hoc, nec quidem possit concipi actio. Ergo si actio non possit sibi determinare agens, idque propterea, quia non est ratio, cur hoc potius subiectum determinet sibi, nunquam poni actio

actio poterit. Minor autem principalis probatur, quia si esset aliquid, quod nonnisi actionem sibi determinaret, & aliud nonnisi passionem, hoc ipso non essent similia, agere enim & pati non sunt similia, in presenti autem sunt illa duo similia.

RESPONDEBIS. Spectare ad Deum determinationem.

CONTRA erit. Simile additum simili, cum non agat ut experimur in simile, bene colligimus hanc determinationem non deponi ab illis similibus ponendam à Deo.

RESPONDEBIS 2. Ex hoc quod non sit ratio, cur unum potius agat quam aliud, sequi debere ut utrumque agat.

CONTRA, quia hoc tum temporis nonnisi contingit, quando passum est distinctum ab utroque agente, sed non in iis quæ pati deberent & agere eadem omnino.

RESPONDEBIS 3. Si calidum ut quatuor, agat in calidum ut quatuor ita, ut constitutur calidum ut sex, non erit ratio cur calidum ut sex, jam dissimile non agat in calidum ut quatuor. Contra hoc ipsum negatur quod calidum ut quatuor, possit agere in calidum aliud ut quatuor.

PROBATUR 3. Quando duo sunt æqualia virtute, si unum, aliquid tertium agere non possit, nec illud secundum agere poterit, & si unum non supponatur vim habere ad aliud agendum, nec secundum supponetur habere, sed calidum ut quatuor non potest intendere se ipsum. Ergo nec aliud calidum ut quatuor poterit intendere.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

Objectiones hæc petuntur ab experientiis. 1. Experientia est. Duo specula æquæ intensæ, refundunt in se ad invicem species obiectorum.

RESPONDETUR communiter. Unum simile, posse agere in simile, introducendo formam, in qua non sunt similia; & sic duo specula similia, agunt in se, quia unum introducit in aliud id ipsum, in quo non sunt similia, nempe speciem. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Quia eodem iure dicam, quod calidum ut quatuor, simile calido ut quatuor, possint in se agere, & unum producere in alio calorem ut quinque, quia inducent formam, in qua non sunt similia, similia enim sunt gradibus quatuor, non quinque.

RESPONDETUR aliter. Hæc propositio: Simile non potest agere in simile, in hoc sensu vera est: quod scilicet simile non possit producere formam, quæ nata sit præstare id, quod jam præsupponitur haberi, in illis similibus, sive similia sint in homogeneis, sive in heterogeneis. Quia

autem duo specula æquæ terfa, similia in terstitudine, lucido, & aliis; has perfectiones jam in se non introducunt, sed nonnisi refrangunt species, in quibus non supponebantur esse similia, eodem modo solvenda est experientia: Cur duo vera similia se frangant: cur duo oculi oppositi species sibi transmittant, & similia.

2. Experientia est. Una manus calida ut quatuor, sentitur ab alia similiter calida ut quatuor. Ergo agit in illam.

RESPONDET 1. recentior Suarez. Unam manum sentire aliam, ratione aëris intermedi, qui nunquam est calidus æquæ. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT, quia fieri potest ut se illæ manus, quoad aliquas partes contingant immediate, non mediante aëre. Deinde experimur nos illo tactu pervenire ad id, quod resistit, nempe carnem manus, Ergo calor ille potius debet sentiri, qui est in manu.

RESPONDET 2. idem. Manum unam, sumptam sub potentia tactiva, sentire aliam sub obiecta tactus, quod consistit in duritie, asperitate, &c. Una autem manus penes hæc est dissimilis alteri: una quidem sumpta sub potentia ad tangere, altera ad tangi. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT, quia si potest una manus, sumpta in ratione potentie tactivæ, sentire aliam, acceptam sub ratione obiecti tactus, dicam etiam simile agere in simile, simile inquam acceptum sub ratione agentis, in aliud simile sub ratione passi. Deinde procedit argumentum de perceptione ipsiusmet caloris, & urgeri potest difficultas, quomodo si sese sentiant ipsæ asperitates, non agat tunc simile in simile.

RESPONDET 3. aliquis produci eo casu speciem tactilem, quo posito, agit simile in simile, non secundum formam, secundum quam sunt similia. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. quia dubium est quod dentur istæ species tactiles. *Hinc aliter*

RESPONDETUR experientiæ. Duæ quidem manus calidæ sentiunt se ad invicem, & de hoc habemus experientiam, sed quod utraque sit æqualis caloris, de hoc nulla est experientia. Casu autem quo æquales essent in calore, possent se sentire, quia non in eo, in quo sunt similes illæ, agerent in se; non enim agerent augendo vel inducendo calorem, aut secundum qualitates, in quibus sunt similes, sed agerent in ipso sentire, unaquaque habente vim suam sentiendi, & prodeunte in actum illius. Et sicut dum unus intellectus intelligit alium, non agunt illi in se, sic nec duæ manus se invicem sentientes agunt in se.

3. Experientia est. Quando jam Petrus inducit sui species in aëre, potest nihilominus Paulus producere sui species in aëre. Ergo simile potest agere in simile.

RESPONDET Aliqui, species has differre non solis individuis, eo quod Essentialiter species

Punctum Difficultatis 3.

Resolvuntur quesita.

cles Petri, non sit nata representare nisi Petrum; sed quidquid sit de hac doctrina, verum est imprimis, quod una species non intendat aliam, tam bene enim si cetera sint paria causat sui visionem Petrus, praesente Paulo ac absente. Rursus quamvis concedatur, quod una species agat in aliam, non sequitur quod simile agat in simile, quia ad hoc ut dicatur agere simile in simile, est necesse ut non solum in specie, sed etiam in accidentibus sint similia; secundum quae accidentia agunt. Jam autem alia accidentia habet species Pauli, & alia species Petri. Denique quia earum virtutes, secundum quas agunt illae species, sunt virtutes producendi visionem, cumque una species, non causet in alia visionem, quam nata est causare, non censetur agere secundum virtutem agendi, quam habet; si non censetur agere, secundum virtutem agendi quam habet, hoc ipso non censetur simile, agere in simile.

Addo, quod sit aliud querere: An simile possit agere in simile, & aliud: An subiectum una qualitate informatum, possit qualitate ejusdem rationis iterato informari, si adferat id quod non adfert sola illa. Prima propositio est falsa, secunda vera, ostenditurque etiam in ipsa receptione, similibus graduum caloris, in eadem parte subiecti, quia aut hoc ipsum contingit, in receptione duarum specierum in eadem parte subiecti, consequenter, stare secum illae poterunt.

Quarta Experientia. Actus ut quatuor, intendit habitum ut quatuor, Ergo simile agit in simile.

RESPONDETUR. Actum & habitum non esse similia; actus enim est quid transiens, habitus quid permanens, nec conveniunt univoce, quod tamen requiritur ne simile agat in simile.

Quinta Experientia. Sit candela producens lumen ut duo, & alia producens lumen ut duo, si ponantur in aula intendente lucem, & tamen sunt similes. Ergo simile agit in simile.

RESPONDETUR. Non intendetur tunc lumen, non enim produceretur ex illa conjunctione quintus gradus luminis.

Sexta Experientia. Fundum lebetis est minus calidum, quam sit superficies. Ergo fundum quod est minus calidum, potest intendere superficiem ut sit magis calida. Ergo multo magis simile poterit intendere simile.

RESPONSUM huic instantiae, in materia de actione in distans responsionis tota vis in hoc est, quod scilicet partes & vapores frigidiores & aquae & lebetis, illuc concentrentur, concurrentibus illis ad resistendum, illic ubi datur actio contrarii, & deferendo sensum partes remotiores, in quas ita desertas, facilius se exerit vis calefactiva, sed inde nihil sequitur contra conclusionem.

QUAEREST. *An agens minus intensum, possit agere in passum magis intensum?*

ASSERO, quod non.

RATIO, quia quando aliqua duo agentia sunt ejusdem rationis, & unum fortius illorum, non potest aliquid praestare, neque minus forte agens potest idem praestare. Sed magis intensum, non potest ulteriorem gradum producere in se, Ergo ne produceret minus intensum, praecipue cum actio sit ab excessu.

DICES. Aer non est ita frigidus ut aqua, & nihilominus hyeme facit congelari aquam.

RESPONDERI potest. Congelationem per accidens provenire ab aere, relicto sibi in suo nativo frigore, sed causatur a frigore aquae, adventitio frigore aeris, exhalationibus terreis & siccis in fluxu siderum &c.

QUAERO 2. *An similis in intensione, dissimilis in materialibus agendi conditionibus, supra explicatis, possint contra se agere?*

ASSERO 1. Quod non.

RATIO. Tum quia ita docet Aristoteles primi Physicorum textu 19. 6. Physicorum textu 9. primi de Generatione textu 50. & 77. Tum quia dissimilitudo illa in materialibus agendi conditionibus, non est vis ulla calefaciendi. Tum quia ponatur ferrum, quod supponitur esse densum, frigidum ut quatuor, ponatur rursus aqua, quae supponitur esse rara, frigida ut quatuor; immergatur ferrum aquae, sequitur quod in aqua ferrum illud produceret quintum gradum frigoris, est enim densius, sequitur item quod aqua in ferro, sit productura quintum gradum frigoris, quia docet Aristoteles 1. Physicorum textu 45. quando agens & patiens conveniunt in materia, & habent aliquam activitatis & resistentiae portionem, utrique datur actio, & tamen quod tunc non producat frigus, experientia ostendit, quam hic fallere, nulla ratio ostendit.

ASSERO 2. *Agens magis extensum, habens cum minus extenso gradum intensiois eundem, non potest agere in minus extensum.*

RATIO, quia praecisa ratio extensionis, non est ratio agendi.

ASSERO 3. *Densitatem & majorem extensionem conferre ut actio sit celerior & per majorem sphaeram.* Supponit hanc doctrinam Aristoteles primi Physicorum textu 42. & 5. Physicorum textu 80.

RATIO. Virtus unita est fortior sed in denso est magis unita, Ergo erit in illo fortior, Ergo celerius & efficacius aget. Rursus, in agente informato qualitatibus activis, eoque magis extenso,

plures

plures sunt partes quæ agunt, Ergo celerius agunt, cumque majus spatium occupent, per majorem sphaeram poterant actionem suam dispensare. Denique si agens magis extensum, nec celerius, nec ad majorem sphaeram agit, imponere ligna foco, non faciet quidquam ad calefaciendum, nam ignis parvus & magnus, non nisi extensione & densitate differunt.

ASSERO 4. quod agentem densius, quam extensus, non plus producit, quam possit producere eorum eodem gradu qualitatis informatum.

RATIONEM dat aliquis à simili Mathematico, sit basis. a. b. & super eam fiat triangulus a. b. c. & super eandem basim a. b. fiat aliud triangulum A. b. d., includens prius triangulum. Hæc duo triangula secundum basim sunt æqualia, in quolibet autem linea, quæ in eadem vicinitate dari potest, basi parallela erunt inæqualia. Ponamus ergo quod basis a. b. sit superficies agentis luminosi ut quatuor rari, & sphaera ejusdem protendatur usque ad c., fiat deinde idem agens densius, & portendat sphaeram usque ad d., quo posito quælibet pars sphaeræ luminosi densioris aut majoris, sit magis extensæ luminosa, quam fuerit prius, licet nulla excedat quartum gradum luminis, quem habuit luminosum ut quatuor rarum, & sicut illa triangula sunt æqualia quoad basim, inæqualia quoad lineas, æqualiter à basi distantes; sic & luminosum ut quatuor, in conditione intensioris erit æquale, cum luminoso ut quatuor raro, quamvis sint inæqualia secundum quascunque determinatas partes, a virtute agentis luminosi distantes.

PLANIOR RATIO est: Quia tota tam rari quam densi luminosi, æqualiter intensi activitas petenda est ex viribus quas habet, quæ sunt gradualis intensio, in istis autem viribus sunt æqualia, Ergo.

DICES 1. in oppositum esse Aristotelem.

Prima ejus AUTHORITY est ex 8. Physicorum, textu 80. ubi dicit in majore magnitudine majorem existere virtutem.

RESPONDETUR. Id verum esse cæteris paribus, eo quod in majore extensione pluries possit esse intensio, unde etiam in tripalmarum igne, in singulis palmis est ignis, hinc Aristoteles intelligit illic majorem virtutem extensivè, non intensivè.

Secunda AUTHORITY est ex sectione tertia, Problemate 22. ubi dicitur majorem ignem comburere minorem.

RESPONDETUR. Assumptionem istam vulgariter sumi, quæ assumptio est in hoc, quia pabulum illius consumit, sine quo pabulo, non potest esse ignis, occurrentibus duobus ignibus ne simile agat in simile, reprimatur ulterior actio, cessatque incendium.

DICES 2. Experientias esse in oppositum.

Prima EXPERIENTIA est, Ferrum ignitum non est calidum in summo, cum non est calidum in summo, cum non sit ignis, & tamen

ignit stupam, quod non potest in aliud referri, nisi in densitatem ferri.

CIRCA ferrum candens *Triplex circiter invenitur sententia.* Prima, quæ docet in ferro esse formam ignis; & hæc facile impugnatur; quia naturaliter duæ formæ substantiales, non possunt eandem Materiam informare, manebit autem tunc etiam forma ferri, siquidem se ferrum reducit ad pristinum frigus. Secunda sententia est, quod ignis non nisi juxta poros ferri recipiatur; hæc sententia ex toto non est vera, quia quamvis certum sit recipi ignem juxta poros ferri, probabile tamen quod non in solis recipiatur, quia remanent aliquæ partes, quæ nunquam se reducant ad pristinam formam ferri. Ergo debet dari principium expellens illam formam, & similem sibi introducens, nempe formam ignis, quæ postea deficientibus dispositionibus, dat locum tertiæ. Hinc Tertia sententia est, quod tam in poris ferri, quam in aliquibus ejus partibus, contineatur ignis, non erit ergo mirum, quod igniat stupam.

INSTAT Toletus. Si ratione ignis contenti intra poros ferri, ignitur stupam, sequitur quod facilius igniretur stupam à corpore raro, eo quod plures sint in eo pori.

RESPONDETUR, quod non, quia ista densitas ex dictis, juvat ad citius similem formam producendam.

Secunda Experientia est, quia duæ candelæ intendunt lumen aulae.

RESPONSUM supra, eo casu extendit non nisi magis sphaeram lucis.

Tertia Experientia est, Major lapis gravior est quam minor, quantumvis uterque supponatur habere gravitatem æquè intensam. Ergo apparet magnitudinem per se magis esse productivam impulsus.

RESPONDETUR. Isti qui gravitatem non distinguunt à materia sub tali forma, facile negabant, quod major lapis, non magis gravitet minori. Alii dicunt esse lapidem majorem magis ponderosum, non magis gravem, eo quod gravitas secundum se sit principium loci acquisitionis, ex quo inferunt gravitatem terræ, esse majorem gravitate aquæ. Jam autem pondus quæ tale, sunt plures partes extensivè corporis gravis, atque ita terra & lapis cujuscunque sint quantitatis, sunt æquè gravia, non enim possunt esse inferius, quam sub aqua. Supposita autem distinctione gravitatis à re gravi, negari potest experientia; quia partibus illis pluribus vel respondet gravitas singulis, vel non respondet, si non respondet, cum per se materia neque gravitet neque levitet, magnitudo illarum partium, non faciet magis gravitare. Quod si singulæ habeant gravitatem proportionatam, immerito supponitur esse illam æquè intensam gravitatem, præcipue verò quia gravitas quæ talis, fortè sibi non determinat certum gradum sicut & sonus.

Quarta

Quarta experientia est, quod plures homines plus possint portare simul, quam si idem pondus in illos postea parti velis. Respondetur. Experientiam hanc non posse actu probari; quomodo enim ita pondus dividetur in singulos, ut commensuretur viribus singulorum, & si id fiat, quod poterant portare collectim, poterunt portare divisim.

Quinta Experientia est, quia quando plures clamant, sonus illorum intenditur, & auditur, ubi antea unus vox non audiebatur.

RESPONDETUR in sententia quæ admittit species distinctas à sono, intensio illa in causam æquivocam, nempe in sonum, species intendentem refertur potest. Jam autem sive admittis siue negatis speciebus soni, concedi potest, quod acquirant illæ species vel sonus maiorem sphaeram, faciliusque permeant aerem, quæ permeatio aeris facilius est, licet non titulo intensiois, sed titulo plurificationis principiorum penetrantium aerem.

DICES 3. Si applicetur calidum ut sex producat quintus gradus caloris, applicentur duo calida ut sex eidem subiecto, certe debent omnia, simul agendo, producere ad minimum sextum gradum, quia non plura applicantur agentia, magis intensia, intensior producit effectus. Quod si illa agentia producant sextum gradum caloris, Ergo dissimile in extensione, potest agere in simile in intensione, illa enim ut sex calida sunt similia in intensione, & dissimilia in extensione non nisi.

RESPONDETUR. Negando sequelam, negando item quod quando plura agentia applicantur, intensior producat effectus, sed tantum producit in maiori sphaera, & citius.

INSTABIS. Ubi plus est formæ activæ, illic maior est virtus agendi. Sed in calido denso aut magno, plus est formæ activæ, quam in calido raro aut parvo. Ergo.

RESPONDETUR. Ubi plus est formæ quoad vires activas, seu quoad gradus, illic est maior virtus agendi, sed non ubi plus est formæ, secundum pluralitatem in sola extensione.

QUÆRITUR 3. An idem possit agere in seipsum. Quod agens non possit agere in seipsum producendo seipsum primo, concedunt omnes, licet divinitus possit agere in seipsum, producendo seipsum secundo, de quo in Physicis, salvabiturque adhuc illud principium, quod agens non possit agere ut acquirat esse, sed quia jam habet esse, quia enim habet esse primo, potest divinitus agere, ut habeat esse secundo, quod dum agit, non supponitur jam ante habere esse secundo. Quod item agens non possit agere in seipsum destructiva actione ad hoc plane directæ, oritur id ex appetitu innato suæ conservationis. *Restant tamen aliqua particularium discutienda.*

ASSERO I. Univerſaliter loquendo non est necesse, ut agens & passum distinguantur suppositis.

RATIO I. est. Auctoritas Aristotelis 3. Physi-

corum, textu 17. ubi docet, quod idem possit moveri à se, si in se habeat partem moventem & motam, per ly autem partes, non sunt accipiendæ partes Physicæ substantiales, alias Angelus seipsum suis actibus non moveret, sed nomine partis quæcunque pluralitas est accipienda.

RATIO II. Quia si esset necesse, ut agens & passum distinguantur suppositis, vel id intelligendum est de mutationibus, quæ fiunt per actus, vel quæ fiunt per aliquas qualitates ab ipsis actionibus distinctas, si intelligatur de mutationibus quæ fiunt per actus, sequitur homines & Angelum non esse intelligentes, quia intelligunt principia à se, & in se recepta intellectio- ne, & cum agens & recipiens debeant à se suppositis distingui, homo autem vel Angelus in se sumpti, duo supposita non sunt, hoc ipso non poterunt intelligere. Quod si concedatur, posse esse agens & patiens idem suppositum, idque respectu mutationum: quæ fiunt per actus, etiam idem suppositum, poterit esse Subjectum respectu mutationum, quæ fiunt per qualitates.

RATIO III. Una pars ligni potest calefacere aliam partem intra idem lignum. Ergo etiam dari actio & passio intra idem suppositum.

ASSERO 2. Si sit res Physica, & motus Physicus, & ipsum agens habeat partes continuas, unaque pars in aliam agat, debet intercedere distinctio realis.

RATIO, quia partes continui distinguuntur realiter quoad entitatem, quoad esse autem formale partium, tunc distinguuntur, quando amittunt unitatem terminorum, quæ tunc amittitur, quia alii sunt termini agentis, & alii patientis partis.

ASSERO 3. Per Accidens fieri potest, ut eadem pars sit agens & passum in motu Physico; per partem autem intelligo, etiam partem ex modo concipiendi.

RATIO, quia intellectus non est distinctus realiter ab anima, est autem pars animæ ex modo concipiendi, & tamen & producit intellecti- nem, & eam recipit.

ASSERO 4. Per se non potest eadem pars agere in se, actione corruptiva; Et secundum hoc asser- tum, intelligendus est Aristoteles, primo de Generatione textu 44.

RATIO, quia alias natura malum intendisset, dando vim agendi contra se, licet id per acci- dens fieri possit, ut cum pars tabida inficit sanam.

ASSERO 5. Per se potest eadem pars agere in se, actione perfectiva æquivoca.

RATIO est, quia unaquæque pars Materiæ, emanat ex se suam quantitatem, & naturæ suas passiones. Quando autem in oppositum urge- tur: quod non possit esse idem simul in actu & in potentia, id verum est, vel de solo actu existendi, vel quod non possit esse in actu & potentia, respectu eodem.

ASSERO 6. Alia hæc est propositio inter ef- fectum primo productum, & causam primo

†(F)

pro-

producentem, debet esse relatio realis, & alia inter agens & patiens debet esse distinctio realis. Prima propositio est vera, secunda fallit etiam in principio vitali, quod idem debet agere & recipere.

ASSERO 7. *Non potest idem, secundum eandem partem, agere in se actione univoca.*

RATIO, quia alias idem posset intendere se ipsum. Nec obest quod possit agere in aliud, nam Magnes trahit ferrum, & tamen non trahit se ipsum.

DIFFICULTAS VI.

De Speciebus Intensionis.

Intensione superius explicata, restant Species. Nempe reflexio, refractio, antiperistasis.

PRÆMITTO I. *Quid sit Reflexio.*

EXPLICAT 1. recentior Suarez, quod sit directio qualitatis in aliam partem, quam dirigebatur a producente. *Sed hac explicatio*

NON BENE SATISFACIT: Quia posito quod Intensio reflexiva fiat a principali agente, ab eodem dirigitur tam directa quam reflexa qualitas dirigitur. Quæstio quid aliud est, quam produci.

EXPLICAT 2. Ariaga: Quod sit productio qualitatis, quæ ulterius tendere ab interjecto corpore impeditur. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT: Quia reflexio secundum punctum reflexionis, in quo coeunt maximè gradus qualitatis, est vera reflexio, & tamen tunc non est prædicta impeditio, quæ ab aliis partibus, & non à puncto reflexionis fit. Deinde pro priori quo nondum intelligitur peragi reflexio, est jam obfistens, per quam qualitas non permittitur ulterius progredi, estque illa qualitas jam producta, nam ei quod non est, nihil obfistit, & tamen tunc non est reflexio. Ergo reflexio non bene describitur per productionem qualitatis impeditæ, ne ulterius progrediatur.

EXPLICATUR 3. & ut tradatur commodior descriptio reflexionis, dico illam sumi posse vel pro actione, vel pro termino, pro actione sumpta, est actio producens qualitatem intensiorem, posita obfistens corporis apti. Sumpta autem pro termino, est intentior qualitas producta ad obfistentiam corporis apti. Est autem hæc descriptio distincta à priori, quia hæc ostendit & ponit productionem ejus, quod non antecedit illam obfistentiam, sed post illam ponitur.

PRÆMITTO II. Experientia constare quod dicitur Reflexio. Videmus enim quod si opponatur speculum Soli, major producat lux, quam quando est lux in aere medio.

PRÆMITTO 3. *In tribus potissimum qualitatibus fieri reflexionem. Primo in lumine, secundo in speciebus intentionalibus. Tercio in calore.* Sed in istis posterioribus, potius concedi deberet refractio: & ita obrefractas species, in aqua, apparet baculus fructus, & dum obfistunt parietes hypocausti, calor refractus concentratur.

PRÆMITTO IV. *Rigorose loquendo, aliud esse refractionem, aliud reflexionem:* Quia refractio qua talis, non dicit ullam intentionem, sed solum obfistentiam, ne ulterius progrediat ad latitudinem suæ sphaeræ, vel qualitas vel species, & sic v.g. echo, fit ex refractione soni vel specierum, & non importat ullam intentionem, refractio specierum ligni in aqua, non importat ullam intentionem earundem, in vitro item triangulari, refractio quæ causat varietatem apparentium colorum, non videtur augere species, quamvis alia sui parte illas augeat. Hinc experimur, quod appareat nobis oculus aspicientis per triangulum in enormem magnitudinem diductus; Coincidunt tamen ut plurimum reflexio & refractio, quando refractio etiam intentionem habet. Secundum autem se spectata refractio describi potest; Quod sit qualitatis, ratione corporis obfistentis, inuosa permeatio.

PRÆMITTO V. *In quo sit in præsentī difficultas.* Ad tria ferme attendi debet. *Primo*, ut ostendatur quomodo posita obfistens corporis, quam præsupponit reflexio, simile v.g. corpus obfistens, informatum luce, non agat in simile, hoc est, in medium, quod supponitur simili luce affectum. *Secundo*, salvari debet quomodo minus intensum non agat in magis intensum, nam in corpore obfistente, & reflectente, non est tanta lux, quanta in puncto reflexionis. *Tercio*, salvari debet, quomodo actio non fiat in distans, nam partes viciniores corpori reflectenti, non sunt ita lucidæ, atque sunt lucidæ, in puncto reflexionis.

Præmitto sexto notionem aliquorum terminorum.

PRIMUS TERMINUS est, *Corpus densum*, quod hic non sumitur pro corpore affecto densitate, prout illo opponitur adventitiæ raritati. Nec accipitur hic pro quocunque non fluido, vel non liquido, quia certè aqua est fluida, & tamen reflectit radios solares, refrangit species, & similia. Accipitur itaque hic densum, pro quocunque corpore, non facile permeabili.

SECUNDUS TERMINUS est, *Corpus opacum*. Nomine corporis opaci venit corpus, quod quæ tale, non est aptum habere speciem, ad id completum, ad quod ordinatur, & ita paries est corpus opacum. Neque enim qua talis, potest representare Solem vel lucem, eo modo, quo representatur in aqua vel in speculo: Huic Opaco est oppositum diaphanum.

TERTIUS TERMINUS est *Corpus tersum*. Nomine corporis terti venit corpus, partes immediatas aliquas non habens sensibiliter eminentiores aliis. Dixi partes immediatas, quia in vitro votivo, partes quæ sunt in medio, eminentiores aliis sunt, & tamen vitrum ustivum & reflectit & refringit. Dixi sensibiliter eminentiores, quia si simpliciter non essent eminentiores, non posset

posset unquam corpus eo modo protuberare, quo protuberat vitrum vorivum.

PRÆMITTO 7. *Nomine Antiperistaseos, venire intensiorem unius qualitatis, ad præsentiam contraria illam circumstantis.* Et quidem circa illam in hoc tota difficultas, quomodo fiat, non autem quod fiat: quod enim fiat experientia videntur urgere; nam aqua est calidior tempore hyemis, quam sit tempore æstatis. Calx item viva, injecta frigida, concipit ignem. Nullaque est ratio negandi has experientias, potiusque ille tepor in calorem referri debet, & in alias causas magis proportionatas, quam in alia principia.

Assignatur causa Reflexionis & Antiperistaseos.

SUPPONO I. *Quod ipsa obfistentia corporis juvet ut agens principale ponat intensiorem qualitatem.* Non permitiendo, ut in ultiores partes sphaeræ distribuatur.

RATIO I. est. Quia agens principale intensivum, non est cognoscitivum, nec scit sibi obfistere corpus. Ex altera parte cum sit agens necessarium, aget qualitatem, quam agere nata est, nec cessabit à productione qualitatis, quæ occupasset ultiores partes sphaeræ; si non cessat à productione ejus qualitatis, ergo illam producit, si illam producit, necessario illa in iisdem partibus subjecti recipi debet, in quibus recepta est qualitas prius producta, si recipitur in iisdem partibus. Ergo fit intensio, quæ stat, plurium partium qualitatis receptione, intra easdem partes subjecti. Ergo ulterius obfistentia corporis qualis, conducit ad intensiorem. Et per hoc suppositum explicatur, quomodo obfistentia corporis habeat se per modum conditionis, & quo pacto illa est conditio, non tantum non impediens, sed etiam conducens ad intensiorem. Explicatur item, quo pacto procedat principale agens ad intensiorem, posita illa obfistentia.

RATIO II. Quia nisi ipsa obfistentia conducere ab intensiorem, & nisi reflecteret illam qualitatem, quæ potuisset poni in ulterioribus partibus sphaeræ, immerito vocaretur illa Reflexio, sed deberet potius vocare deficitio, vel potius faciens definire actionem, & qualitatem; ad eum modum, quo, cum pila plumbea alliditur pavimento, non dicitur illa pila reflecti, quia definit tantum impulsus ille.

RATIO III. Accendatur thus in cubiculo, fumus ille odoratus, allidit se ad parietes cubiculi, & nihilominus pergit ulterius ignis in producendo fumo odorato, qui ultiores partes sphaeræ activitatis occupasset, si illis parietibus locus conclusus non fuisset; Cur ergo etiam de reflexione universaliter id non dicitur. Quæ omnia in hoc ulterius resolvuntur: quia posito quod impediat obfistens, ne ulterius producta qualitas protendatur, non est ratio, cur desinat agere principale agens, cum nondum assimilaret sibi passum totum, in quod agit, & habeat virtu-

tem assimilandi, si non desinat agere agens, producta qualitas, cum sit accidens, necessario in subjecto recipi debet, & quia jam invenit subjectum informatum, ut dictum, non primo illud informabit, sed informatum intendet.

RESPONDEBIS. Si suppositum sit verum, sequitur quod totam sphaeram sine obfistentia ulla corporum, possit agens magis & magis intendere: nam semper procedet in agendo, & producta qualitas, inveniet jam consimili qualitate informatum medium.

CONTRA. Quia si agatur de tota sphaera æqualiter intendenda, falsum assumit responsio, aget enim semper agens uniformiter difformiter. Si autem non nisi agatur de intensiione uniformi difformi; in duplici adhuc suppositione procedere potest responsio. In primis de intensiione qualitatum habentium contrarium: & in isto casu, potest tamen aliquantulum plus quam prius fecerit, intendere, nihilominus propter reactionem mutuam, non potest magis & magis intendere. Si autem sit qualitas non habens contrarium, hæc etiam ex duplici capite intendi non potest. Primo, quia cum qualitas producta, v.g. lux in aëre, perpetuo fluctu & in sequente aëre, nova debet produci lux, & sic luminosum est occupatum in producenda luce non nisi de novo, si autem medium, constanter retineat productam qualitatem, v.g. lucem, necdum sequeretur illam magis & magis intendi, quia luminosum, statim producit, quicquid potest, usque ad terminos corporis obfistentis, hinc quali intensiione primo produxit, tali & conservat, ex altera parte, non est unde saltem per accidens fiat intensior qualitas.

SUPPONO II. Præter obfistentiam corporis, ex alio etiam principio oriri intensiorem, v.g. lucis, & ex illa orti caloris, quod jam explicatur. Corpus diaphanum habet hoc, ut incidentes in illud species, compleant illam diaphanitatem, v.g. ut ex perspicua potentia fiat perspicuum actu. Porro, hoc perspicuum actu, fit, cum positis illis speciebus, efformatur luminosi principalis in illo corpore species expressa. Quod vero tunc efformetur species expressa luminosi, vel cujuscunque alius objecti effundentis species visibiles. Ratio est, quia verè id quod est cognitio hominis, est species expressa hominis, pictura item, est species expressa artificialis. Cur ergo non dicitur etiam in diaphano corpore, exprimi speciem expressam luminosi, v.g. referendo id in conditionem & naturam ipsius diaphani, ipsa experientia probatam. Quod autem hæc species expressa principalis luminosi, conferat ad intensiorem. Ratio est in primis experientia, experimur enim, quotiescunque ponitur expressa hæc species, quod intensio sequatur. Deinde species expressa objecti, est quasi repetita illius positio, congruit ergo, ut habeat repetitam quasi vim agendi, illud, quod agit principale.

SUPPONO 3. *Triplicis in presenti reflectionis habendam esse rationem. Primo* ejus quæ fit in pariete: *Secundo* ejus quæ fit in speculo. *Tertio* ejus quæ fit in vitro ustivo. Harum trium reflexionum in hoc est differentia: quia prior reflectit lucem, sed principale luminosum non repræsentat. Secunda & reflectit, & repræsentat. Tertia & reflectit & repræsentat, & transmittit fortius, quam si immediate egisset agens. Rursus sicut triplex est conditio ipsorum corporum reflectentium, sic & duplex est conditio qualitatum reflexibilium, quales ordinariè in presenti considerantur: Calor scilicet & Lux. Porro calor reflexus à pariete, non semper est tantus, quantus est in partibus vicinioribus principali calefactivo; Jam autem lux reflexa major est in pariete, quam in partibus, & in medio, inter parietem & luminarum principale interceptum.

SUPPONO IV. *Cur lux sit major in pariete reflectente in debita distantia & minor interdum calor.* Dixi interdum, quia à Sole, magis calefit, v.g. paries, quam aer intermedius. Cujus missis aliis rationibus, hæc posset dari causa, nempe natura qualitatibus, & natura principalis agentis. Deinde quia paries est magis densus, quæ densitas resistit calori, & hæc resistentia agere superatur, licet hac resistentia victa, major possit postea reperiri calor in pariete, etiam semoto principali calefactivo.

SUPPONO V. *Ex jam præsuppositis, salvari ea, quæ diximus supra, in hac materia salvanda fuisse.* *Salvatur imprimis:* Cur simile non agat in simile, quia intensio illa effectivè proficiscitur ab ipso principali agente, posita obfistentia corporis oppositi. *Salvatur item,* quod minus intensum non agat in magis intensum, quia tota illa actio non debet tribui qualitati receptæ, sed ipsi principali, quod eousque qualitatem intendet, quousque habebit virtutem naturalem illam intendendi. *Denique, salvatur,* quomodo cum in corpore obfistente, quantumvis producatur intensior qualitas, non agatur tamen in distans, quia toto medio transmittitur qualitas ininterrupta. Quando autem in vitro ustivo opposito Soli, non perficitur nisi incerta parte ustio, rejici debet in transmissionem radiorum, quæ fit pyramidaliter basi, quæ basis quasi inhaeret vitro, cujus cornus pars ea est, ubi perficitur ustio.

Ex his suppositis

Ratio majoris intensiōis ex reflexione est.

Quia qualitas spargenda in partes ultteriores sphaeræ, impeditur à corpore obfistente ne ulterius progrediat, pergit autem principale in producenda quam potest qualitate, quæ qualitas quia est accidens, recipi debet in subjecto. Quod ipsum subjectum, quia jam est simili qualitate informatum, ex adventu similis alius qualitatis, intenditur.

Antiperistaseos autem causa est, imprimis in corpore calido. Quia scilicet illud dum obfiscitur à corpore frigido, habet extimas sui partes constrictas, quæ constrictione posita, partes calidiores & tenuiores prohibentur expirare, expiratio neque prohibita, totus ille calor introrsum continetur, & tamen dum principale agens pergit in agendo, id, quod deberet in partes remotiores diffundi, in vicinioribus partibus ponitur, adeoque intenditur. Hocque significavit Aristoteles 1. Meteororum summa 3. capite 1. 41. Meteororum summa 7. capite 2. & Problemate 23. & 29. Si ulterius velis indagare, cur calx oleo superfusa non ardeat, ardeat autem aqua superfusa, id referri debet in hoc principium, quia oleum cum sit subtilioris naturæ quam aqua, hinc ei semper supernatat, non potest ita constringere partes extimas calcis, adeoque minus prohibet, ne calidae exhalationes calcis expirent. Rursus in corpore frigido, quando scilicet circumobfiscitur frigidum à calido, intendit suum frigus, hæc ratio intensiōis assignari posset. Quia calidum laxat poros frigidi, quibus laxatis, exhalationes calidae & tenues facilius exeunt, relinquuntque corpus cum sola qualitate, aut majori prædominio frigidi. Hæc omnia cæteris paribus sunt accipienda. Quia quando tepida aqua exponitur frigori, citius congelatur, quam calida, cum tamen propter circumpositum frigus intendi deberet adeoque diutius resistere. Accipiendum inquam hoc est cæteris paribus, nam si sit corpus circumobfiscens excedens activitate, intendatque etiam illam, sequetur potius citius expulsiō oppositi, ut contigit in congelatione aquæ tepidæ.

DIFFICULTAS VII.

De Impedimentis Intensiōis.

SUB hoc titulo agatur in primis de Resistentia qualitatū, deinde de reactione & repassione.

PRÆMITTO I. *Qualitates contrarias, quales sunt, v.g. calor & frigus, posse esse secum naturaliter in gradu remisso.* Est assertum Aristotelis 5. Physicorum textu 19. & Metaphysicorum textu 36. Ratio, quia quando calefit aqua, vel ponitur aliquid caloris, vel non! Si non ponitur caloris aliquid, ergo non calefit, quod est contra suppositionem, supponitur enim calefieri, calefieri autem non potest, nisi calore, sicut nec dealbari nisi albedine, quod si cum calefit aqua, produciatur aliquid caloris, vel manet aliquid frigoris, vel non, si non manet. Ergo ex templo fit calidum, quod fallum est: Si manet aliquid frigoris. Ergo cum nec sit maximus calor, nec maximum frigus, manebunt illæ duæ qualitates in eodem subjecto, secundum gradus remissos.

Respon-

RESPONDET Gregorius, producit tunc non nisi qualitatem mediam, ita ut color rubeus, vel caruleus, misceatur ex coloribus extremis.

CONTRA. Tum quia, si illa qualitas media, indivisibiliter una, potest esse partim calida, partim frigida. Ergo multo magis subjectum, ratione diversarum qualitatum, potest esse partim calidum, partim frigidum, & si calor & frigus, non eam habent contrarietatem, quo minus possint eandem indivisibilem entitatem constituere. Ergo nec habent talem entitatem, ut se in gradibus remissis non possint compati; difficilius enim est, imo & impossibile, ut eadem sit anima bovis, & asini, licet saltem divinitus secum stare possint. Tum quia salvari potest remissio per amissionem præexistentium graduum. Ergo sine necessitate ad novas entitates recurratur. Tum quia non implicat istos gradus remissos secum stare, nec quidquam arguit, id de facto, non evenire.

DICES I. In oppositum esse paritates aliquas.

PRIMA PARITAS est. Assensus & dissensus, amor & odium, non possunt se compati in gradibus remissis. Ergo nec frigus & calor.

RESPONDETUR, *Disparitas est*, quia pro priori nulla est experientia, quæ habetur pro posteriori, ad eum modum, quo nec ipsi oppositi admittunt qualitatem neutram odii & amoris. Rursus, quia supponitur à communiori sententia in entitate positiva assensus, fundari consequenter negatio dissensus, consequenter inferitur non posse illos stare secum. Jam autem positio aliorum graduum, non infert negationem aliorum graduum, & hoc est remissos gradus secum stare.

Secunda PARITAS est. Idem non potest esse magis & minus calidum. Ergo neque simul calidum & frigidum.

RESPONDETUR. Magis & minus calidum, spectari possunt vel ratione diversarum formarum, vel ratione ejusdem. Si spectentur ratione diversarum formarum, & graduum, falsum est antecedens, consequenter etiam ratione diversarum formarum, poterit aliquid esse partim frigidum, partim calidum. Si autem difficultas procedat de magis calido & minus calido, respectu ejusdem formæ, id non poterit evenire, quia nihil respectu eodem, est magis & minus; non eodem autem respectu, illa aqua esset frigida & calida.

Tertia PARITAS est. Non potest idem calefacere & frigefacere, simul congregare & disgregare heterogenea. Ergo nec simul esse calidum & frigidum.

RESPONDETUR, Antecedens esse verum, ratione ejusdem formæ, & principii immediati; nego autem ab eadem formæ & principio immediato, esse illic calidum & frigidum.

DICES II. Calor & frigus, etiam in remississimis gradibus accepta, sunt adhuc contraria. Ergo esse in eodem subjecto non possunt.

RESPONDETUR. Non ideo calor & frigus intensus non possunt esse simul in eodem subjecto, quia sunt simpliciter contraria, sed quia sunt contraria in excellenti, nullumque datur principium, quod utramque æqualitatem inducere possit in idem subjectum, quod à posteriori experientia probat. Jam autem experientia probat dari tepidum, scilicet utroque opposito habito, non in gradu excellenti.

DICES 3. Aristoteles videtur negare, quod possit esse aliquid album & nigrum. Respondetur. Procedere doctrinam Aristotelis de albo & nigro, sine addito, adeoque sumptis in excellenti.

PRÆMITTO II. Duas qualitates etiam in gradu excellenti contrarias, posse divinitus in eodem subjecto esse. Ratio, quia id non implicat, probaturque in simili de formis substantialibus in Physica.

PRÆMITTO III. Tunc dum naturaliter in gradibus remissis, stant secum qualitates contrariæ, faciunt sibi resistantiam, reagent & repatiuntur, quod etiam contingeret, si divinitus in gradibus intensis secum starent, & ab agendo & reagendo non impedirentur à Deo. *Ut hoc totum intelligatur, sit*

Punctum Difficultatis I.

De Resistentia qualitatum.

QUÆRES I. Quotuplex sit Resistentia.

ASSERO, *duplicem esse Resistentiam*. Unam Positivam, aliam Negativam. Seu quod idem est, unam activam, & aliam nonnisi formalem, vel phrasi Suarii. Unam per immediatam repugnantiam, hoc est nihil producendo, & alia est per resistantiam radicalem, sitam in diminutione virtutis alius contrarii, sic v. g. dum calor reagit contra frigus, dicitur habere resistantiam positivam, seu activam, seu radicalem, seu diminutivam virium sui contrarii. Quando autem nihil agendo, petit una forma, ne altera secum informet idem subjectum, ista dicitur resistantia formalis negativa, seu per immediatam repugnantiam. *Sed aliter*

EXPLICANT I. Conimbricenses Resistentiam negativam, & eam condistinguunt à privativa. Resistentiam negativam appellant incapacitatem subjecti ad formam aliquam recipiendam. Resistentiam autem privativam tribuunt subjectis formæ capacibus, cum ei tamen ægrè aut nequiquam cedant. Prior resistantia

† (F) 3

conve

conveniet Angelo, aut unicuique substantiæ spirituali, respectu accidentium materialium, præcipue quantitatis. Secundam resistantiam habet lapis, ne frangatur, vel ne moveatur sursum. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Quia resistantia illa negativa, est potius incapacitas, incapacitas autem, non est idem cum resistantia, sicut homo non dicitur resistere, ne etiam supernaturaliter sit Leo, sed potius est incapax ut sit, resistantiaque potius importat contententiam ne vincatur, cum cæteroqui quocunque modo vinci possit. Angelusque non dicitur resistere ne illi naturaliter uniatur quantitas; sed incapax est.

EXPLICAT II. Oviedo hic controversia 6. numero 1. & condistinguit resistantiam activam. Unam quidem secundum quam, una qualitas immediate agit in aliam, & hanc dicit esse impropriam resistantiam, & aliam secundum quam unum, non agit in aliud, & tamen active illi resistit, eamque resistantiam dicit esse propriam. Quod ipsum ita proponit. Ponamus duo agentia contraria, quorum neutrum agit in aliud, idque ideo quia vel Deus illis denegat concursum, ne in se agant, vel sunt posita extra sphaeram, ut in se agere non possint. Ponamus rursus quod illa duo agentia contraria, agant in tertium passum. Ponamus deinde quod calidum ut octo, applicatum illi passo, producat gradus quatuor caloris, & frigidum ut octo, quatuor vel tres gradus frigoris; quo casu, illa duo contraria, impediunt se, quia calidum ut octo produxisset septem gradus caloris, nisi illi restitisset frigidum ut octo, & tamen hæc resistantia non est formalis, quia formalis resistantia consistit in informatione qualitatum. Jam autem antecederet ad calorem productum, resistebat agens calidum, ne frigidum præoccuparet subiectum, frigiditate producta; imò hæc resistantia præcedebat natura productionem qualitatum, adeoque resistantiam formalem, quæ ipsis formis identificatur. Non ergo illa resistantia est formalis, non etiam illa resistantia, & resistantia activa, qualem ponit communis sententia, quia hæc stat in destructione contrarii, vel gradus ipsius, quæ destructis tunc non peragitur. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT I. Quia confundit duo quæ erant distinguenda. Alia hæc est propositio, an præter resistantiam formalem & activam, possit ex alio capite fieri repugnantia & impeditio, ne aliqua forma sint in eodem subiecto: & alia, an inter ipsas formas quæ tales, detur alia repugnantia, quam formalis & activa. Prior propositio quam probat Oviedo, est vera, unde illa impeditio, potest fieri ab incapacitate subiecti, & à defectu virium agentis. Posterior propositio est falsa, nec eam probat argumentum Oviedo.

NON SATISFACIT II. Quia suppositio, secundum quam illæ duæ formæ non agunt in se, bona est. Nam supposito quod DEUS illis formis subtrahat concursum activum, adhuc illæ habent repugnantiam activam, non quidem actu exercitam, sed exercibilem. Sicut impediente DEO ne quantitas extendat in ordine ad locum, adhuc quantitati convenit extensio proxima in ordine ad locum. Altera suppositio, in qua ponuntur illa agentia contraria, extra sphaeram agendi contra se, non concludit quod illis non competat adhuc eo casu resistantia activa. Si scilicet conditio hæc, quæ est poni agentia, in certa sphaera, ponatur, quanquam si dicatur poni extra sphaeram illa agentia, non debet id rejici in resistantiam aliquam, ut vult Oviedo; hæc enim non habetur, si agens extra sphaeram sit, sed potius in impotentiam. Ergo ostenditur potius impotentia, quàm nova aliqua præter dictas resistantia.

NON SATISFACIT III. Quia non probat Oviedo, quod eo casu non detur reactio & repassio, adeoque quod tunc non sit resistantia activa.

QUÆRES II. Quid sit Resistantia formarum?

Repugnantia communis ad Formalem & Activam. Est repugnantia seu disconvenientia formarum inter se. Hæc ipsa dividitur in eam, quæ est per ipsam entitatem formæ, & vocatur formalis. Et in eam, quæ petitur ex productione alicujus qualitatis, & hæc vocatur activa: *Explicanda erit utraq.*

ASSERO I. *Resistantiam formalem, si sumatur secundum quod subest nostris conceptibus, non aliud est, quam formalitas, secundum quam, una forma impossibilis est cum alia, exigique suam solitariam conservationem. Dicit illi formalitas impossibilitatem cum alia forma, si enim esset composibilis, non interveniret resistantia. Sicut quia albedo & dulcedo sunt composibiles, non resistunt sibi, deponit item solitariam sui conservationem, quia si illam non exigit, posita forma contraria non censetur resistere illi, sed potius cedere. Sic explicata resistantia, convenit radicaliter & remote etiam non productis formis, proximè autem, jam productis.*

ASSERO II. *Resistantiam formarum in Re, non aliud esse quam ipsam entitatem formarum quæ ex sua ratione specifica deponit, ne simul informant idem subiectum. Dixi ex ratione specifica, quia gradus duo caloris, non possunt informare subiectum, quod jam informant gradus octo caloris, neque tamen gradus duo caloris dicunt resistantiam, cum octo gradibus caloris,*

ita

ita ut illa impossibilitas, non ex oppositione formarum oriatur, sed ex incapacitate subiecti. E contra gradus frigoris ut tria, cum gradibus caloris ut quinque, dicunt resistenciam formalem, quatinvis idem subiectum informare possint, quia habent ex ratione sua specificam resistenciam.

QUÆRES III. Quotuplex sit Resistencia formalis?

Condistinguit hic Oviedo Resistenciam formalem, in resistenciam in actu primo & resistenciam in actu secundo. Resistenciam in actu primo, dicit fieri per ipsam entitatem formalem. Resistenciam autem in actu secundo, dicit constitui per presentiam contrarii in actu secundo. *Utrum haec difficultas resolvatur.*

ASSERO I. Resistenciam formalem in actu secundo, attendendo ad modos nostros concipiendi, non constitui per hoc, quia illi aliquid contrariatur, vel opponitur contrariando, tanquam terminus.

RATIO, quia Resistencia ex modo nostro concipiendi non est illud contrarium, sed contra contrarium. Ergo contrarium potius erit terminus illius oppositionis, in actu secundo, & non oppositio, adeoque nec ipsa resistencia formaliter sumpta.

ASSERO II. Resistenciam formalem in actu secundo ex modo nostro concipiendi, esse formalitatem, in actu exercito opponentem sese contrario.

RATIO, quia si oppositio formalis exercetur aliquo superaddito, tunc resistencia formalis, esset. Actus Phycus secundus, ut Quo opponendi. Ergo si resistencia illa sit aliquid non nistratone distinctum, erit mera formalitas, resistencia ut Quo.

ASSERO III. Spectatam Resistenciam formalem in actu secundo in re ipsa esse ipsammet entitatem ita circumstantionatam contrario actuali.

RATIO, quia nulla est necessitas condistinquendæ illius resistenciæ entitativæ, ab ipsismet formis.

Punctum Difficultatis 2.

Quid Resistencia formarum sita in appetitu conservationis suæ solitaria.

ASSERO I. Quod ex modo nostro concipiendi hic appetitus conservationis, sit quasi actus aliquis elicitus Formæ quæ petit à causa conservante, ut procedat ulterius in ea actione, qua primo illam qualitatem produxit, vel suppleat illam actionem, per gavage, suppleat qua erat primo

producta. Dixi quod id sub disjunctione petat forma, quia etiam res non eodem modo omnes conservantur, interdumque aliud est producens, aliud conservans.

RATIO autem asserti est, quia appetitus elicitus, nobis notior, concipitur à nobis, immo & est actus quidam. Ergo ex notiori arguendo ad ignotius, etiam appetitus innatus, ita concipiendus erit.

ASSERO II. Appetitum illum conservationis in resistencia formali, nihil aliud in re esse, nisi ipsam entitatem. Secundum eursum naturæ natam tam diu esse extra causas, esseque in actu.

RATIO, quia etiam appetitus naturæ ad formas, nihil aliud in re est, quam ipsa materia capax formarum. Ergo & ipse appetitus conservationis, nihil aliud in re erit, nisi ita sicut circumtribitur accepta entitas.

Quod si ulterius quærat, quæ sit mensura ut tantum vel tantum duret forma, adeoque petat conservari, hoc determinativum interdum petitur & ex ipsa entitate, & ita anima in æternū petit durare: interdum hoc determinativum habetur à sola libera voluntate Dei, & ita liberè determinat Deus, ut tantum vel tantum duret visio beatifica; determinari itē possunt à negatione contrariæ formæ, & hoc modo petunt cæli semper durare: quia formæ calorum, nihil est contrarium; determinantur item si non producatur opposita forma, aut quod adhuc integræ sint dispositiones, &c.

Casu autem quo duæ formæ depolcant conservari, illa potius conservabitur, quæ magis petet, major autem petitio sita est, in naturali conditione formæ, quod si utraque æqualiter petat se conservari, illa potius conservabitur, quam depolcant alia entia conservari in sui bonum. Si autem nulla sit talis illarum formarum, pro hac potius conservanda determinatio, spectabit ad authorem naturæ.

DECIDENDUM adhuc restat pro quo instanti dicat forma appetitum conservationis. Quod ita explicat. Oviedo & supponit, quod forma pro conservatione depolcere possit, tam conservationem sui, quam negationem contrariæ qualitatis: dicitque quod forma in instanti A, pro quo supponitur existere, non exigit in actu secundo conservationem sui, sed existens in instanti A, depolcit in instanti A, conservationem sui pro instanti B, quamvis existens in instanti A, depolcat in instanti negationem contrariæ qualitatis pro instanti A.

Quod qualitas existens in instanti A, non depolcat conservationem sui pro instanti A, rationem reddit. Quia forma pro quo instanti resistit, pro eo instanti supponi debet existere,

† (F) 4

re, ne-

re, neque enim resistere potest quod non existit, pro eo instanti pro quo resistit, supponitur existere. Ergo supponitur pro illo instanti non posse non existere. Ergo supponitur pro illo instanti non posse corrumpi. Ergo supponitur pro illo instanti non resistere corruptioni faciendæ in eodem instanti. Quia resistantia in actu secundo debet esse respectu rei possibilis, & respectu rei, quæ, ablata resistantia, fieri posset. Jam autem impossibile est id quod conservatur pro instanti A, non conservari pro eodem.

Hæc doctrina Oviedo,

NON SATISFACIT I. Quia libertas maxima est, libertas in actu secundo, & pro instanti, quo fit exercitium actus, quod, pro illo instanti, impossibile est non esse. Ergo etiam maxima resistantia est, resistantia invincibilis, & pro eo instanti quo res supponitur esse in actu secundo, & quam pro illo instanti impossibile est non esse, cum præcipue Oviedo id etiam velit esse resistantiam, quod dicit impossibilitatem & incapacitatem, & sicut actus liber non nisi ex suppositione habet hoc, quod impossibile est, non esse ipsum; sic & illa resistantia, erit ex suppositione non nisi conservationis, adeoque appetitus ad illam. Quod si impossibilitas quin sit actus liber, cum est, non destruit libertatem. Ergo & impossibilitas ut non sit, non destruet resistantiam, nec destruet appetitum ad conservari.

ADDO. Quia illa resistantia nihil aliud est in re, quam ipsa entitas habens jus existendi. Sed cum de facto existit, est entitas, & habet jus existendi. Ergo & dicit resistantiam.

NON SATISFACIT II. Quia non distinguit in uno eodemque instanti temporis, duo instantia rationis: Potest enim prius ratione concipi deprecens DEO à creatura ut existat, intelligique DEUS pro illo priori indifferens ad illam servandam, & in posteriori signo rationis gaudens impetrata conservatione, quamvis toto temporis instanti, supposito quod existat, non possit non existere. Deinde doctrina Oviedi non distinguit resistantiam vincibilem, & resistantiam invincibilem. Resistantia in instanti A, quo res supponitur existere, est invincibilis pro illo instanti, non enim in eodem instanti potest aliquid existere & non existere. Et alia est resistantia vincibilis, qualis est resistantia Entis in instanti A, ne corrumpatur pro instanti B, quæ ut dixi, est resistantia vincibilis. Ergo etiam in instanti A, per ordinem ad instans A, erit petitio conservationis, sed petitio invincibilis & proportionata ipsi resistantiæ, ut ait Oviedo, invincibili.

NON SATISFACIT III. Quamvis qualitas existens pro instanti A, corrumpi non pos-

sit pro instanti A, ut vult Oviedo. Nihilominus resistit contrariæ qualitati, & petit negationem contrariæ qualitatibus. Ergo etiam in instanti A, potest resistere negationi suæ conservationis. Quod ipsum ulterius sic proponitur. Resistentia debet esse respectu rei possibilis, ut vult Oviedo. Impossibile autem est, ut pro quo instanti supponitur qualitas existere, eodem instanti supponatur expulsa, & tamen hoc non obstante deprecit qualitas existens, pro instanti A, negationem qualitatibus contrariæ. Ergo tunc poterit resistere pro instanti scilicet A, etiam negationi suæ conservationis.

RESPONDET Oviedo. Quod qualitas existens pro instanti A, deprecit, ne corrumpatur ab alia qualitate, deprecit id pro instanti sequenti, non autem pro præsentis, idque dicit sub finem numeri octavi.

CONTRA. Quia sub initium numeri noni expresse dicit, quod Forma existens pro instanti A, resistit introductioni formæ contrariæ, pro instanti in quo est, & pro instanti sequenti redibit ergo Argumentum hinc.

ASSERO III. Quod Forma, tam pro instanti quo est, quam pro instanti futuro supposito quod possit esse, deprecit sui conservationem & negationem contrariæ.

RATIO. Quia si non peteret sui conservationem, pro instanti pro quo est, ideo non peteret, quia pro instanti pro quo est, non potest non esse. Sed id non probat, quod adhuc non petat sui conservationem, ut probatum est. Tum quia pro illo instanti res respectu DEI existit libere, quia ex suppositione non nisi consequenti, non potest non existere; Si libere existit. Ergo potest à DEO annihilari, licet ex suppositione à DEO non annihiletur. Si potest annihilari. Ergo & exigere, ne annihiletur. Tum quia opposita sententia, diminuit gratiam & beneficium conservationis. Nam in instanti A, dum existo, non possum non existere, quid ergo pro hoc debeo DEO, non etiam dum existo in instanti B, quia hoc jam, tunc, habet se ac instans A, non etiam ratione secuturæ conservationis, quia diminuta est obligatio pro beneficio futuro, præcipue si, dum illud possideo, ad nihil teneor.

Punctum Difficultatis 3.

De Resistentia per Reactionem & Reactionem.

PRÆMITTO I. Explicationem Terminorum hujus Materie.

PRIMO. Quid Agens, quid Passum in hac Materia? In re, id quod est agens, diverso respectu est passum hic; nam idem agens, quod est calidum, si amittat aliquem gradum caloris, revera est passum, patiens scilicet sui diminutionem, nihilominus.

hilominus nomine agentis illud venit, quod est majoris activitatis; & nomine passi illud, quod est minoris activitatis.

SECUNDO. *Quid agens principale, quid agens minus principale.* Agens principale est illud, quod excedit activitate, minus autem principale, quod non excedit.

TERTIO. *Quid passum magis principale, quid passum minus principale.* Illud quod est majoris activitatis vocatur passum minus principale, in quantum scilicet opposita qualitas, diminuit aliquem gradum in illo, redigitque illud agens, in conditionem patientis illam diminutionem. Quod autem minus habet activitatis, vocatur passum principale, quia plures gradus amittens quam producat.

QUARTO. *Quid sit pars repassa, quid pars non repassa, quid pars passa?* Nominis partis repassæ vocatur illa pars principalis agentis, quæ est vicinior contrariæ qualitati, & in quam exierit passum principale (quod alias appellavimus agens minus principale) vim suam, similem sibi gradum producendo; Partes a. remotiores, & in quas vim suam non exierit minus principale agens, vocantur partes non repassæ. Nominis autem partis passæ propriissime venit pars illa passæ, in quam immediate agit principale agens.

QUINTO. *Quid sit Reactio, quid Repassio.* Actio, qua inducit agens minus principale, similem sibi qualitatem, vocatur Reactio, & est actio passi in suum agens. Repassio autem tunc est, cum agens magis principale, amittit aliquid, ob actionem, minus principalis agentis, ut cum calidum ut octo, amittit unum gradum, dicitur repati.

Maurus questione 24. commune hoc effatum: Quod qualitates magis activæ sint minus resistivæ, putat implicare in terminis. Rationem dat, quia qualitates contrariæ sunt calor & frigus, v.g. implicat autem in terminis, quod si calor est magis activus quam frigus, frigus magis sit resistivum, quam calor. Quod ipsum probat. Qualitas magis activa est, quæ agit vehementius & citius, sed si calor vehementius & citius agit in frigus, illud corrumendo, quam frigus in calorem, eo ipso, magis calor resistit frigori, quam frigus calori, quod ipsum probat. Quia si calor agit citius in frigus, illud destruendo, frigus citius patitur destructionem à calore. Sed quod citius patitur destructionem ab altero, minus illi resistit; major enim resistentia est, per quam difficilius & tardius aliquid destruitur. Sed hoc etiam argumento posito effatum communis doctrinæ sustineri potest. Hac in primis via, quod scilicet, si comparentur inter se activitas ignis, & ejusdem ignis resistivitas, major appareat in igne activitas, quam resistentia. Unde cum plurima comburatur, tamen tam multis, ut cinere, & aqua, & aliis modis facile restingui potest, licet comparative accepta resistentia frigidi, ad activitatem caloris, non possit dici ab-

solute major, præ resistentia frigoris. Posset alia via idem salvari, ostendendo resistentiam, non quidem majorem simpliciter, quia si major esset simpliciter resistentia, non posset jam effectum habere major activitas, adeoque nec esset major activitas, nisi majoritate aliqua materiali, ostendendo inquam majorem resistentiam in hoc, quod si comparentur gradus resistentiæ, qui non sunt determinati ad gradum non nisi octavum, nulla enim hujus determinationis necessitas cum gradibus activitatis, plures sint, licet unus gradus activitatis sit potens, ad plures gradus resistentiæ superandos.

PRÆMITTO II. *Resistentiam effectivam, communiter sumi pro Reactione, sed exacte loquendo, non debet appellari resistentia effectiva, nomine Reactionis.*

RATIO. Quia resistentia effectiva, æque primo utrique formæ convenit, etsi deberet alicui principalius convenire, potius conveniret agenti principali, seu magis activo, cum reactio potius passo, seu minus principali agenti tribuatur. Quod autem resistentia effectiva, utrique qualitati æque primo conveniat. Ratio est, nihil est ratione cujus huic potius, quam illi qualitati debeatur, tam enim conatur frigus ut vincat calorem, quam calor ut vincat frigus.

PRÆMITTO III. *Resistentiam effectivam dupliciter posse spectari. Vel in actu primo, vel in actu secundo.* Resistentia effectiva in actu primo, est ipsa illa potentia, quæ potens est principiare actum resistendi. Resistentia autem effectiva in actu secundo duplex est. Primo effectiva ut *Quo*, & hæc non aliud est, quam motus ad qualitatem, quæ agendo produci debet, & alia resistentia effectiva ut *Quod*, & est terminus, qui producitur illo motu, & per quem positive tanquam per entitatem ratam unum expellit aliud. *His præmissis*

QUÆRES I. An datur Reactio & Repassio.

Affero dari. Ita Aristoteles 1. de Generatione cap. 7. & 3. Physicorum textu 8.

RATIO est. Tum quia datur mixtio, aut generatio nova, ex conflictu duorum. Tum quia ostendit hoc experientia, quod datur actio caloris in frigus ferri, & à ferro expugnetur calor. Tum quia frigus & calor habent vim agendi. Hinc si sint debite applicata, necessario utrumque ager, adeoque sequitur debere dari reactionem & repassioem, si enim unum tantum ageret, daretur non nisi passio, sed quia & aliud agit, debet in illo quod patitur, dari reactio, & in illo quod principaliter agit, repassio.

DICES I. Si ignis dum agit, v.g. in lignum repatiatur, sequitur quod aliquem gradum amittat. Si aliquem gradum amittit, ergo tantam intentionem in passo non producat, quantam produxisset, si repassus ignis non fuisset. Si autem tantam

tantam intensionem producere non potest, non assimilabit sibi passum, consequenter nec in ligno produceretur, forma ignis.

RESPONDETUR. Ex Vi majori activa caloris, sequitur, ut se reducere possit in pristinum, aut resistere, ne impediatur, ab inductione formæ.

DICES II. Si verum est assertum, inexplicabile est, quomodo agens in eodem instanti, quo agit, possit repati, v. g. quomodo ferrum candens calidum ut sex, ad motum nivi frigida: ut septem, in eodem instanti possit destruere, v. g. duos gradus frigoris in nive, & amittere unum gradum caloris, aut enim in illo instanti, secundum illum gradum frigoris, quem amittit, nix, agit aut non agit. Si agit, contra erit, quia omne agens dum agit, existere debet. Non etiam secundum, quia frigus quo plures habet gradus, eo plus in primo instanti operatur. Ergo omnes in primo illo instanti illud juvant, & non est ratio, cur frigus in priori naturæ non utatur illo suo gradu.

Hanc objectionem proponit recentior Suarez & respondet, quod frigus secundum gradum amissum non agat, ad illam autem propositionem, agens quo plures habet gradus, magis agit, dicit Ly magis cum sit gradus comparativus, comparari potest, vel magis respectu alius agentis, quod appellatum est supra, agens minus principale, & sic ratione graduum remanentium magis adhuc agat. Quod si Ly magis comparatur ad ipsum metagens principale, indubie si nulum gradum caloris amisisset, calidum magis ageret. Quod autem recurritur ad illud prius naturæ, id in presenti non vincit, quia prioritas illa naturæ, est secundum intentiones nostras, actio autem illa debet esse quid Physicum.

DICES III. Movens quodpiam localiter, non est necesse à moto localiter moveri. Ergo nec est necesse agens à passo repati.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia non ex eo ipso, quia motum movetur localiter, supponitur motum habere vim movendi. Jam autem agens calidum & frigidum, supponitur habere vim agendi, nihilque illis deest, quo minus sequatur actio, quamvis autem illa agentia supponantur inæqualia, non impediuntur ab agendo, licet ingrediatur debilius, à vincendo simpliciter.

QUÆRES II. An pars repassa simul moveatur duobus motibus contrariis?

Figatur imaginatio. Ponatur calidum ut octo, octo palmare, frigidum etiam ut octo, octo palmare. Ponatur rursus, quod in octavum palmum calidi, reagendo frigidum, induxerit unum gradum frigoris. Queritur? An in partem octavam illius palmi, agunt & partes septem caloris, non repassa, & ipsum passum seu frigus? si enim eorumque agat, movebitur illa pars, duobus motibus contrariis caloris & frigoris.

ASSERO. Partem repassam non moveri duobus motibus contrariis. Est assertum commune contra Averſa.

RATIO Asserti est. Quia si pars repassa moveretur duobus motibus contrariis, illisque in summo ut supponitur, tunc pars una subiecti esset capax plurium graduum quam octo, haberet enim gradus septem non repassos, in parte autem repassa haberet unum gradum frigoris, qui fundant in illa rationem partis repassæ, haberet etiam rursus in eadem parte gradum unum, à partibus non repassis introductum. Ergo illud subiectum novem gradibus informabitur.

RESPONDEBIS. Quod eodem instanti quo producant partes non repassæ unum gradum, cessurus sit gradus frigoris, consequenter non habebit subiectum plus quam octo gradus.

Contra. Ergo jam non sentis idem moveri duobus motibus contrariis, de quo tamen fuit Difficultas. Quod ipsum sic urgetur. Quia vel eodem instanti, quo inducitur à passo in partem repassam, gradus frigoris expellitur, vel non eodem. Si eodem. Ergo eodem instanti est, & non est ille gradus frigoris, quod est impossibile. Si sequenti. Ergo non stas in proposito, non enim ostendis, quod simul moveatur duobus motibus contrariis, redibitque insuper Argumentum factum.

QUÆRES III. Cur reagente passo in partem repassam, partes non repassæ non agant in partem repassam.

Ratio dubitandi est. Quia partes non repassæ agunt in Passum, quod supponitur esse distantius parte repassa, cur non potius agent in partem repassam, & si habent vim agendi sufficientem, ut agant in passum, cur non habebunt vim sufficientem ut agant in partem repassam?

RESPONDET I. Pontius. Quod si supponatur Passum, tam esse applicatum, ut ad producendum secundum gradum frigoris, quam pars non repatiens ad producendum unum gradum caloris, eo casu, potentius habebit effectum, et si sint æqualis potentie, vel neutrum produceret quidquam, vel à Deo determinabitur, quodnam producere debeat.

Contra. Quia non responderetur ad intentum, quia non est quæstio de Productione secundi gradus frigoris, sed est quæstio, cur agat pars non repassa in passum, & non agat in partem repassam? & cur producere possit aliquem gradum caloris in passo, & non possit impedire, ne producat quidquam frigoris, in parte repassa.

RESPONDET II. Quidam. Quia si Passum potuit aliquid corrumpere de qualitate partis repassæ, & contra, si partes non repassæ contra vim passi non potuerunt conservare gradum partis repassæ, multo minus poterit contra eandem vim passi eundem restituere & producere, non enim minor vis necessaria ad aliquid de novo producendum, quam ad aliquid conservandum.

Contra.

Contra. Partes non repassæ contra Activitatem omnem passi, possunt aliquid producere in passo, itemque contra resistantiam tam graduum Passi, antequam passum illos amisisset, quam contra resistantiam reliquorum graduum passi, quos supponitur adhuc habere passum. Ergo multo magis contra resistantiam pauciorum jam partium passi, poterit in partem repassam inducere gradum deperditum.

Deinde suppono, quod sicut partes agentis agunt uniformiter, difformiter, sic etiam partes passi agunt uniformiter, difformiter, quo posito argumentor. Partes passi integræ, uniformiter difformiter agentes, potentius conservabant gradum amissum, quam conservent in parte repassæ productum, utpote magis remotum, & tamen contra vim conservativam passi, partes non repassæ, poterant producere in partibus passi gradum sibi similem. Ergo in parte viciniore multo magis id poterunt.

RESPONDET 3. Idem. Quia in quocunque casu datur Reactio. Qualitas quæ produci ut à Passo, in parte repassæ, magis distat ab intentione passi, quam qualitas, quæ in eadem parte repassæ, produci deberet, à parte non repassæ, distat ab intentione ejusdem partis non repassæ. Ex quo fit, quod plures partes passi concurrant ad producendam & conservandam, in parte repassæ qualitatem, quam concurrerent partes partis non repassæ, si pars non repassæ deberet agere in partem repassam.

Contra. Redit Argumentum jam factum. Partes non repassæ contra omnem nulum partium passi, possunt in passo producere suam qualitatem. Ergo producent in parte repassæ. Deinde, non sola ultima pars passi producit qualitatem in parte repassæ, sed & omnes partes agunt, quantumvis agant uniformiter, difformiter. Ergo etiam non sola ultima pars non repassæ, sed & omnes reliquæ agent, quamvis uniformiter, difformiter: Negatur item, quod Gradus producendus in parte repassæ, magis distat ab intentione partium non repassarum, quam distat unus gradus ab intentione passi, neque enim hæc major distantia est, per Heterogeneitatem, cum supponantur esse gradus homogenei, imo heterogeneitas hic nihil impediret: nec est major distantia localis, magis enim est vicina pars repassæ, partibus non repassis, quam sit pars repassæ vicina passo, cum supponatur induxisse suos gra-

du in partes viciniores passi. *Ad Quæsitum ut respondeatur*

ASSERO I. Quod eo ipso instanti, quo produciitur in partem repassam qualitas passi, non possint partes non repassæ restituere suam qualitatem. **RATIO.** Quia alias eodem instanti esset illic frigus, quia supponitur inductum, & non esset, quia supponeretur expulsum à partibus non repassis.

ASSERO II. In secundo vel aliis posterioribus instantibus, posse partes non repassas agere, in partem repassam. Ratio, quia experientia ostendit partes repassas redire ad pristinum.

ASSERO III. Ratio, cur agens impediatur, non producat in parte repassæ qualitatem, quamvis tunc in passo producat similem sibi qualitatem, rejicienda est in naturam agentium, qualem si non haberent, tunc ignis v.g. quia activissimus est, omnia de palceretur, tollereturque omnis mistio. Rursus rejici debet in id, quia agens necessarium tantum agit, quantum potest, hinc si eodem modo se habeat semper, non poterit postea plus. Quia ergo in primo congressu calidum ut octo, cum frigido ut octo, exeruit omnes suas vires contra frigidum ut octo, & tamen eo in tempore simul amisit unum gradum, cum eodem modo se habeat agens calidum, ut habuit ante, non potest simul procedere in illa actione, vel conservatione graduum productorum in passo, & simul concurrere ad producendum gradum in parte repassæ. Nam pro illo quod primo agit conservando, & producendo, omnes vires intendit, hinc nisi accedat calido melius aliquid, non potest agere in partem repassam, citius tamen postea à distantiori passo submovebit actionem, ut se in parte repassæ tueatur.

Quod attinet ad aerem, intermedium inter agens & passum, conditionem hujus partis sequetur, cujus qualitatem habebit.

QUÆSTIO III.

De Remissione.

DE Remissione nihil speciale dicendum occurrit, quod ex dictis solvi non possit, si enim sit res de remissione, in quantum illa opponitur intentioni, sicut intentio fit additione gradus ad gradum, ita remissio stabit in ablatione gradus à gradu. Si autem sit res de remissione activa & passiva, quæ perficitur reagendo & repatiendo, de ea sic discurrendum, ac de reactione & de repassione.

DISPUTATIO III.

DE MISTIONE.

At tenditur in hac disputatione ad elementa, qualitates primas, &c. Exactior tamen horum notitia aliunde peti potest.

QUÆSTIO I.

De Principiis misionis, & eorum Proprietatibus.

Nomine principiorum misionis, veniunt elementa. Nomine proprietatum, qualitates primæ, quæ sunt calor, frigus, humiditas, siccitas, &c.

DIF.